AD MONASTERII

DIVI PROSPERI

REGIENSIS

COMMENTARIA HISTORICA



APPENDIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD MONASTERII
DIVI PROSPERI
REGIENSIS
COMMENTARIA HISTORICA
APPENDIX
SEU
PARS TERTIA
PER

D. CAMILLUM AFFAROSI REGIENSEM
Ord. S. Benedicti Congregat. Cassinensis,
Monasterii S.S. Petri & Prosperi Regien. Abbatem,
ejusdemque Congregationis Visitatorem.

PATAVII, MDCCXLVI.

Ex Typographia Jo. Bapt. Conzatti.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Cum in Sanctorum Actis, si uspiam alibi, misere laboraverit hominum imperitorum licentia; maxime interest, sincera secernere ab spuriis, certa ab incertis; ut rebus pie ac sancte gestis sua constet auctoritas. Quod etsi assequi in tantis superiorum temporum ambagibus sit difficillimum, id tamen pro viribus ab unoquoque tentari nemo sanæ mentis improbabit unquam.

Mabillon. in Præf. 1. To. Act. S.S.O. S.Ben.

Digitized by Google

AD LECTOREM.



Ccipe nunc, humanissime Lector, ad Monasterii D. Prosperi Commentaria Appendicem quam promisi. Hanc alia ab eis lingua iccirco vulgare decrevi, quod cum mihi proposuerim S.S. Prosperi & Venerii acta, quæ latine conscripta in Ms. apud nos Codice extant, criticis observationibus, ac dissertatiunculis illustrare, simulque ubi opus est, castigare, ad illorum idioma easdem illas conformari debere judicavi; idque eo libentius feci, quod omnes videant, Viro critico de hujusmodi rebus agenti, non cum mulierculis, aut imperita, & plerumque erroribus involuta plebe, sed cum eruditis rem omnino esse. Equidem non inficior, Monumenti hujus Scriptorem, in iis vel quæ ipse vidit, vel quæ ad Divi Prosperi nostri acta ex non fucatis antiquorum traditionibus accepta referuntur, haberi posse veridicum; verum in

iis,

Digitized by Google

iis, quæ pro tuenda in eodemmet Prosper Aquitanicæ originis denominatione comminiscitur, cum in chronologicis, tum in historicis a veritate longe aberrare comperiet quisquis in talibus vel modice versatus sit; adeo ut, & ad hæc ipsa evulganda invitos Nos quodammodo fateamur; sed cum pro veritate eo magis elucidanda, ad id necessitate quadam inveniamur adstricti, ea demum proferimus. Quæ etenim de Divo Prospero Regii nostri Episcopo apud nostrates aliquot secula opinio steterit, jam satis constat. Quis enim nesciat Aquitanum eum & habuisse ipsos, & aliis vendidisse? Quam sane opinionem ab hoc duodecimi seculi monumento probabiliter deductam, primumque a Monachis ipsiusmet Cœnobii D. Prosperi, vel ob imperitiam, vel ob captandam gloriolam, Regiensibus invectam facile crediderim, quod sciam, eo tempore Acta hæc scripta fuisse, quo bona fide, & sine ullo examine uti genuinum opus recipiebatur quidquid antiqui alicujus Scriptoris nomen præferret, sibique licere plures existimabant, nonnulla etiam de suo capite comminisci, atque inserere operi, dum ad pietatem ea referrentur. Ex hoc itaque fonte

te

Digitized by Google

te persuasio de Prospero Aquitano episcopalibus infulis ornato profecta est, atque altas adeo in posterorum animis paullatim radices egit, ut difficillimum sit eam ex memoria evellere, & tanquam averruncare. Difficultatem auxit maxime judicium doctissimorum hominum, qui duobus ab hinc seculis huic opinioni adhaeserunt, eamdemque probaverunt: ut propterea posteri, eorum rationibus, atque momentis, quibus jam niteretur, argumenta adiicere conati sint, quae etsi ab artis criticae regulis longissime abessent, tamen eorum ope ad veritatem proxime accessisse, aut etiam eamdem assecutos se esse arbitrentur. At enim, quam saepe accidit ut plerique hominum fucatis rationibus capti, & tamquam laqueis irretiti, erroribus pro sapientia utantur, iisque semel placitis indormire malint, quam liberari. *Quocirca ab hac opinione tum primum abducere arbitratus sum Concives meos, cum de D. Prospero nostro Episcopo, atque Patrono in prima parte Commentariorum Monasterii, quemadmodum instituti ratio postulabat locuturus, meum ea de re judicium absque ullo quempiam carpendi animo aperirem. Sed quae*

Ant. Vallisner. Ep. ad Soc. Angl.

res

res omni periculo carere mihi visa est, præter opinionem, omnemque expectationem meam contra cessit. Multa enim propterea sparsa sunt in vulgus dicteria in me, meaque scripta, & quasi de rerum summa ageretur, pene ab omnibus conclamatum est. Itaque nonnulli bellum mihi clanculum indixere; sed armis usi sunt adeo pugnæ imparibus, ut eos ipsos ferme pudeat illa adhibuisse. Nec vero quisquam temere id a me dictum reprehenderit, qui Observationes animadverterit Regiensis Anonymi ad quamdam dissertationem, quam a Viro cæteroquin docto captarunt; etenim observationum Auctor eam egregie confutasse crediderim, cum & Populares quosdam (præter eruditos) qui & statim laudarunt ipsi, & plausus eidem quæritarunt, de sententia magna ex parte dejecit. Sed ego, ut libere dicam, quod sentio, popularia ingenia nec magni facio, nec vero timeo. Illud equidem miratus sum, & miror etiam interdum, claros Viros, & sapientia, & prudentia ornatos, quique auctoritate rebus gerendis præsunt, adhuc ita decipi, ut idcirco non discedant a sententia, quod non modo censeant, sui, Patriæque famæ plurimum detra-

tra-

Digitized by Google

trahi, sed etiam timeant, ne in crimen imminutæ quodammodo erga S. Episcopum pietatis ac religionis incurrant. An vero injuria miror, acutos homines minus advertere, Sanctos, qui æterna pace fruuntur, Deumque omnis veritatis fontem intuentur, ac summopere diligunt, nec falsos honores quærere, nec his delectari, nec vero posse? Itaque frustra sibi blandiuntur, rationum momenta, quibus caussam suam tueri quam maxime putant, satis habere virium ad persuadendum. Illud enim constanter affirmo, si seposito studio partium, quæ hactenus attulerunt, diligentius examinent, quam ea infirma sint, facile deprehensuros. Allatas, inquam hactenus rationes, ac momenta loquor; nam si meliora imposterum afferant ex sinceris monumentis, synchronisque Auctoribus deprompta, Prosperique Aquitani Episcopatum, cum iis non modo non pugnare, sed etiam, si Diis placet, congruere ostenderint, paratiorem me ad subscribendum habebunt profecto neminem. Quemadmodum contra, si eadem dicere, ac refricare perrexerint, a sententia numquam desistam. Atque id quidem potissimum in caussa fuit, cur promissam hu-

jusce Appendicis editionem hactenus distulerim; Cum enim, qui contra sentiunt, ad opinionem suam firmandam validiora argumenta adducturos se jactitarent, hæc ante legere optabam, ut vel in eorum sententiam abirem, si meliora attulissent, vel novas nænias, atque figmenta refutarem. At ubi me ad annos deceptum vidi, atque ad calendas, ut ajunt, græcas rejci, longioris moræ pertæsus, promissa exolvere constitui, ne me quoque fidem fallere, posito pudore suspicarentur. Hæc te initio, Lector, monere volui, non modo ut cognosceres, cur Appendicem hanc neque statim ediderim, neque duxerim ultra differendam; sed etiam scires caussam, quamobrem latine scripserim, commentumque de Prospero Aquitano Regii nostri Episcopo iterum rejecerim. Unum illud addam, non esse scilicet arrogantiæ tribuendum, si ego, Vir quidem nec ingenio, nec eruditione cum iis, qui hæc disseruerunt comparandus, tantum mihi sumo, ut putem ea detexisse, quæ Viros sane quam doctos latuerunt; Etenim, multum, *ut ait Seneca*, adhuc restat operis, multumque restabit, nec ulli nato post mille sæcula præclu-

Seneca Ep. m. 64.

de-

detur occasio aliquid aliud adjiciendi ; multum egerunt qui ante nos fuerunt , sed non peregerunt . *Enim vero tot , ac tanta sunt hac ætate historiæ , criticæque artis incrementa , tot ac tanta monumenta e latebris eruta , unde homines proficere in diem possunt , ut mirum non sit , qui ad veritatem assequendam omnem suam curam , atque operam contulerit , eam aliquando tandem consecutum . Sed jure dolendum , in tanta hujus sæculi monumentorum copia , atque doctrina , nonnullos præfracte cæcutire ; Quod non fecissent , opinor ii , qui ante Nos vixerunt , si quæ Nobis cognita , ac perspecta sunt , ea ipsi explorata habuissent ; hodieque statim , posito priore judicio , si viverent , nobiscum plane consentirent . Sed non est , Lector humanissime , cur te pluribus morer . Hæc enim quæ dixi , ex ipsis animadversionibus majus fortasse robur accipient . Vale.*

Digitized by Google

NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approbazione del P. F. Paolo Antonio Ambrogi Inquisitore del Santo Offizio di Padova nel Libro intitolato *Ad Monasterii D. Prosperi Regiensis Historica Appendix, seu Pars tertia, per D. Camillum Affarosi &c.* non vi esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica; e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza *a Giovambatista Conzatti Stampatore in Padova*, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 3 Decembre 1745.

(
(ALVISE MOCENIGO II. Riform.
(ZUANE QUERINI Proc. Riform.

Registrato in Lib. a car. 16 al n. 125.

Michel'Angelo Marino Segret.

Ex

Digitized by Google


Ex eod. MS.

MONASTERII S.S. PETRI ET PROSPERI REGII

CAPUT PRIMUM.

VITA SANCTI PROSPERI

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Unctis liquet fidelibus dilectissimi Fratres quod divina munera cunctaque carismatum dona ex profundo ocultoque benignitatis Dei judicio proveniunt juxta Apostolum qui dicit omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum. Ideoque mirari ea potius quam investigari possumus. Quis enim cognovit sensum Domini aut quis Consiliarius ejus fuit? Unde Doctor gentium quam inscrutabilia inquit sunt judicia ejus & investigabiles vie ipsius. Igitur quia teste Scriptura Omnis Sapientia a Domino Deo est & cum illo fuit

sem-

semper attingens a fine usque ad finem fortiter & suaviter omnia disponens . Ipse enim candor lucis eterne & speculum sine macula majestatis Dei & imago bonitatis illius . Idcirco in omni opere Deo placito ac mortalibus proficuo Sanctus invocandus est Spiritus . Ipse enim artifex omnium donorumque largitor unicus multiplex & subtilis disertus & mobilis certus & suavis omnem habens in se virtutem cunctaque prospiciens . Quod etiam juxta Apostolum singulis queque prout vult dividit . Unde Salvator in Evangelio Spiritus inquit ubi vult spirat & vocem ejus audis . Ipse quidem in potestate habens cujus cor gratia sue visitationis illustret . Quamobrem in hoc presenti negotio & Sancti Spiritus imploranda sunt suffragia . Quatenus super se ad ennarandam Dei laudem & gloriam juxta competentem Sanctorum excellentiam ac debitum honorem linguam nostram ad hoc opus regulariter exequendum regere largaque superne sapientie benignitate nostri cordis precordia irradiare dignetur.

Licet autem Karissimi Fratres omnium Sanctorum sollempniter ac miropere celebranda sit festivitas juxta propheticum vaticinium nimis inquit honorandi sunt amici tui Deus . precipue tamen illorum sollempnia largius venerari piaque mentis devotione celebrare nobis convenit quorum corpora in Urbe nostra vel in propinquis locis (1) Deo favente quiescere quosque Patronos nostros jugi intercessu signis & miraculis corruscantibus pro certo fore cognoscimus.

(1) *Propinquis locis* . Signatur hic Monasterium D. Prosperi extra Urbem.

mus. Unde etiam cum olim Deus univerſitatis auctor ac mirabilis rerum cunctarum diſpoſitor clementie ſue bonitatem ac miſericordiam mortalibus luce clarius innoteſcere vellet ipſoſque de ſe ... (2) florigera in hujus vite exilium miſerabiliter propulſos gratuito munere ſibi filios facere decreviſſet: inefabili miroque modo unicum filium ſuum ex ſe ante luciferum genitum ad reformandum videlicet humani generis lapſum ſancto cooperante ſpiritu de Virgine natum viſibili ſpecie in mundum direxit. Ut autem juxta evangelii fidem Deus homo factus plaſma quod ipſe formaverat diaboli veneno infectum atque in utriuſque mortis dampna perductum ad vitam reformaret. & priſtinam libertatem ipſe quidem nulla peccati lege (3) cogente ſed propria voluntate pro nobis mortem ſubire dignatus eſt. Ob id quidem dilectiſſimi Chriſtus Jeſus mortis atrocitatem corporaliter perferre voluit. quatinus mortis auctorem carnis infirmitate ſuperaret. per quod crucis vexillum in electis ſuis ipſam mortem funditus deſtrueret. ſibique homines gratia ſua per fidei copulam operumque exhibitionem gratiſſimos faceret amicos. Unde ipſa veritas in evangelio: vos inquit amici mei eſtis ſi feceritis que ego precipio vobis. Igitur quia homines peccati condicione mortales. Apoſtoli videlicet ac eorumdem ſucceſſores amici Domini noſtri Jeſu Chriſti veraciſſime comprobantur. ſummopere neceſſarium fore credimus quo eos ad continue interceſſionis noſtreque ſalutis ſuf-

(2) *De ſe* .... Lacunam ſupplendam arbitror *de ſede*.
(3) *Peccati lege cogente*. i. tanquam ſi eſſet ſubditus peccato.

Digitized by Google

suffragium sedula prece implorare studeamus . quatinus apud Deum ipsos patronos & amicos Christi opitulante gratia jugiter habere mereamur .

Scire namque cupimus dilectissimi Filii caritatis vestre fraternitatem quia postquam filius Dei carnem quam de Virgine sumserat ad alta celorum potenter evexit . dum adhuc singule gentes per varios Ydolorum cultus diabolo instigante baccharentur . jam Spiritu Sancto celitus Apostolis misso quatinus eosdem celos faceret qui juxta profeticum dictum in omni terra gloriam Dei ennararent: ipse futurorum prescius gratia sua preeunte ac misericordia subsequente salutifera Pauli Apostoli visitatione Hyspanie (4) regionem fecit sublimem . scilicet juxta pro-

(4) *Hyspanie regionem* . Apostolum Paulum (jam vinculis solutum) in Hispanias profectum , Hispanisque Evangelium prædicasse , quamvis de hac profectione in Actibus Apostolorum nihil legatur ; plurimos tamen antiquos Patres (inter quos Athanas. ad Dracont. Cyril. Hyerosol. cath. 17. Epiph. hær. 27. Chrysost. Præf. in Ep. ad Hebr. Hieron. in Isa. 11. 14. Theodoret. in 2. Timot. 4. Greg. Magn. aliiq.) pro certo habuisse comperimus . At gravissimis eorum auctoritatibus adversati sunt alii , quos inter , Summi Pontifices , nempe Innoc. I. apud Lab. Tom. 1. Concil. pag. 1246. Ep. ad Decent. , & Gelasius apud Gratianum 12. q. 22. C. Beatus 5. Ex Theologis autem D. Thom. aliique Affirmativæ autem sententiæ patroni verbis ejusdem Pauli tantummodò innituntur , ubi in Ep. ad Rom. c. 15. hæc habet : *nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus , cupiditatem autem habens veniendi ad vos , multis jam annis , cum in Hispaniam iter instituero , veniam ad vos ; spero enim quod præteriens videam vos , & a vobis deducar illuc* . Sed hæc , sententiæ negativæ patronis nihil probare videntur ; aliud enim est , inquiunt , aliquid in votis habere , aliud vota complere . At allata verba demonstrant quidem proficiscendi consilium , nequaquam verò ipsam profectionem . Et quidem addunt,

Digitized by Google

prophetam in omnem terram exiret ſonus Apoſtolorum & in fines Orbis terre verba eorum. Quam prefatus Apoſtolus Domino Jeſu Chriſto cuncta ſalubriter ordinante ingreſſus. mox populis ibidem degentibus ut fidelis diſpenſator evangelica ſemina diffundere cepit.

Multis autem ſignis ac prodigiis in jam dicta regione per eundem Apoſtolum corruſcantibus infinite populorum caterve divine predicationis novitate ſuccenſe variis demonum ſpurciciis abrenuntiantes fide Chriſti percepta ſacroque baptiſmate renovati ſancte matris Eccleſie cetui ſpiritualiter ſunt uniti. Poſt hec vero multis (5) jam preterlapſis temporum curriculis cum Deo placitum fuit. ſapientia cujus conditi ſumus & providentia gubernamur memor ipſe miſericordie ſue que a ſeculo ſunt quodam aſtro mirabili luce perfuſo. Proſpero videlicet ſanctiſſimo & illuſtri viro ad reformandam nihilominus chriſtianitatis religionem iterum jam prelibatam Hiſpanie (6) regionem clementer illuſtrare digna-

dunt, ſi Paulus eo profectus eſt aliquando, dicant quo tempore id acciderit, quamdiu ibi manſerit, quid egerit, quo anno reverſus fuerit, cauſſam tandem aſſignent cur apud antiquos Hiſpaniæ Scriptores perpetuum ſit de hac re ſilentium. Conſulat Lector Baron. ad An. 61. § 2. Natal. Alex. differt. 15. Sec. 1. Tillemont. annot. 73. in D. Paul. Calmet Com. in Ep. ad Rom. &c.

(5) *Multis jam* a ſuppoſita nempe D. Pauli profectione ad D. Proſperi ætatem.

(6) *Hiſpania regionem*. Scriptor hic noſter, Proſperi beati, cujus vitam ſcribere profitetur, natale ſolum Aquitaniam fuiſſe ſupponit, cum Auctorem eum facit operum, quæ ab Aquitano Proſpero elucubrata fuiſſe in confeſſo eſt apud omnes; cur ergo, quibuſve argumentis, aut quo duce regionem hanc in Hiſpaniis ſitam putaverit, prorſus ignoro. Orbis antiqui deſcriptionem ſa-

Digitized by Google

tis claram habemus a vetustis Scriptoribus, Cæsare nempe, Strabone, Plinio, Ptolomæo, aliisque etiam posterioribus in re geographica peritissimis, apud quos nulla de hac Provincia in Regno Hispaniarum habetur mentio; quinimo inter Galliarum Provincias bene numeratam Geographorum nullus negat. Cæsar namque sub initium lib 1. de bello Gall. Galliam omnem in tres partes divisam, quarum una Belgica, alia Aquitanica, tertia Celtica, nos clare docet. Augustum autem Imperatorem, Cæsarisque successorem, eam regionem in quatuor subdivisisse Provincias invenimus, Narbonensem nempe, quæ Braccata etiam dicta est, Lugdunensem, seu Celticam, Belgicam, & Aquitaniam, Armoricam apellatam. Hanc porro inter Garumnam, Pirrenæos montes, & Oceanum Gallicum sitam Cæsaris ætate fuisse, deinde ab Augusto ampliatam, seu extensam usque ad Ligerim fluvium, quo a Celtica, seu Lugdunensi divisa fuit, & ad Cemenos usque Montes protensa, quibus pro parte a Narbonensi separata erat, norunt Geographi. In primam autem, & secundam, ac fortasse etiam in tertiam partita fuit hæc Provincia; Galliarum namque hæ Provinciæ, *olim cum simplices essent* (ut verbis utar Sirmondi) *pleraque postea Principum nutu in plures dividi cæperunt; hinc orta cognomina, ut aliæ primæ dicerentur, aliæ secundæ, tertiæ, & ita deinceps pro numero Provinciarum. Aquitaniæ igitur duæ fuerunt; prima cujus caput Bituriges, secunda cujus caput Burdigala; semper autem divisis Provinciis pars illa prima nomen obtinuit, cui Metropolis obtigit, quæ totius Provinciæ ante divisionem caput erat; ut Narbonensis prima dicta est, in qua Narbo, Lugdunensis prima, in qua Lugdunum, Aquitania prima, in qua Bituriges*, &c. Ita Sirmond. in not. l. 7. Sidon. Apol. Ep. 5. Cum ergo in hac primæ partis Provinciæ, seu Aquitaniæ primæ regione ortum duxisse Prosperum (Aquitanum dictum) jam credatur, cumque ejus natale solum a nonnullis (jure an injuria non disputo) in Oppido Lemovico, quod in Armorica, seu Aquitania prima situm Auctores describunt, collocetur, profecto jam constat, non Hispanum, sed Gallum omnino fuisse Prosperum hunc, cujus uti Aquitani se acta describere profitetur hic Auctor. Quo igitur jure, Scriptor iste seculi XII. Prosperum nostrum, quem pro Aquitano venditare conatur, Hispanum fuisse commemorat? Aquitaniam aliquando (seculo scilicet V.) a reliquo Galliarum Regno distinctam Auctores nonnulli referunt, ut Sulp. Sev. Hist. 11. qui ait, *sed id nostris* (idest Aquitanis) *Gallis, Brittanis, indecens visum* &c. Item ex Ausonio in Arelate

„... Po-

gnatus est. Revera sicut olim variis Cœlum syderibus ornavit & vernantibus florum diversitatibus arva depinxit ita postmodum tempora festis diebus videtur distinguere ac totius Mundi climata novo Sanctorum lumine decorare mirabiliter. Nec mirum cum ipse Christus sit lux vera que illuminat omnem Hominem venientem in hunc Mundum. Cujus itaque luce beatus Prosper undique perfusus atque universa morum honestate preclarus velud sol radians in virtute sua jubar sanctitatis illius longe lateque spargebatur. Tandem vero idem sanctissimus Prosper decursis Evangelistarum documentis, ventum est ad locum ubi Christus inter cetera cuidam Legisperito dixerat. si vis inquiens perfectus esse vade & vende omnia que habes & da pauperibus & habebis thesaurum in Celo & veni sequere me:

" .... *Populos alios & mœnia ditas*
" *Gallia queis fruitur, gremioque Aquitania lato*

de quibus P. Sirmondus in not. ad Sidonii Carm. ad Omat. pag. m. 152. Verum, in Hispaniarum Regnis aliquando comprehensam, nec unus quidem inveniri potest, qui asserat. Equidem me non latet, Aquitaniam una cum multis Hispaniarum Provinciis sub Alarico Visigothorum Rege Arianorum Principum jugo subjectam, gementemque, sed quid inde? Fortasse quod Provinciæ omnes, quæ illorum imperio subdebantur, intra Hispaniarum confinia comprehenderentur? Nihil minus; siquidem ex ejusdem ævi Scriptoribus, Aquitanos in Gallia sitos, atque ab Hispanis distinctos, diversosque comperimus. Salvianum hic afferre satis sit, qui lib. X. de Guber. Dei postea quam Aquitanorum facinora, ob quæ accensus est ira super ipsos Deus, lacrymans recensuit, *transeamus* inquit *ad alias mundi partes, ne de solis tantummodo Galliis dixisse videamur; quid? Hispanias nonne vel eadem, vel majora forsitan vitia perdiderunt*? Scribebat autem circa seculi quinti medietatem. Sed ad hanc rem plus etiam satis. Antiphonas autem, quæ olim legebantur, quæque eumdem exhibent errorem, ex hoc fonte prodiisse, nullus dubito.

Hac quidem audita precellentissimus Prosper Salvatoris nostri ammonitione non jam tunc surdus auditor Evangelii illico omnem terrenarum rerum opulentiam cuncta gemmarum simul (7) auri & argenti pondera in elimosinam pauperum distribuit ut justitia ejus maneret in seculum seculi & cornu ejus in gloria exaltaretur eterna . Quin etiam ut ipse liberius Deo vacare posset juxta preceptum dominicum quo dicitur . qui non reliquerit omnia non potest meus esse discipulus. servis vel ancillis (8) liber-

(7) ***Gemmarum simul auri & argenti pondera*** . In Hymno diei festi omnium SS. Monachorum canitur ;

„ *gemmas & auri pondera*
„ *& dignitatum culmina*
„ *calcastis &c.*

an vero tot, tantisque divitiis afflueret Prosper seu Aquitanus, seu Regii nostri Episcopus, vel potius hæc ex pia Scriptoris imaginatione prolata sint, judicet Lector. Certe ex nullo synchrono Auctore id deducitur.

(8) *Servis vel ancillis* . Servi apud antiquos qui fuerint, nullus eruditorum ignorat, ii nempe, qui alieno dominio, contra naturam, juris constitutione subjiciebantur ; ita ex §. *Servitus. Inst. de jure personar.* Erant autem servi proprie dicti dominorum juri, ac imperio ita subjecti , ut eos plectere, venundare , ac etiam extremo supplicio afficere aliquando possent impune. Nihil vero proprii habere poterant , sed totum id quod permittebantur acquirere, aut aliquorum liberalitate eis donabatur, dominorum suorum nomine , non proprio , Servi possidebant ; unde nec de ipsis bonis disponere, ea distribuere , aut unquam testari nisi de dominorum suorum facultate potuisse , innumeris probari posset exemplis ; sed duo illa satis sint , quæ in fine primæ Partis Commentariorum Monasterii D. Prosperi jam dedimus n. xxxii. & xxxiii. Servos porro hujuscemodi, non mercede, ut ætate nostra conductos , sed pretio comparatos , aut jure belli acquisitos, sub dominorum , & maxime potentiorum imperio mancipatos, ex diversis officiis , vel artibus , quibus addicti erant denominatos novimus ; ut ex. gr. *Fornacarii* qui fornacibus præfecti , *Ostiarii* qui ostium domus obser-

Digitized by Google

libertate donatis omnibuſque hujus vite pompis ac ſecularibus negociis atque proprietatibus abrenunciatis Chriſto ducente Romam pervenit. qui licet exteriori ſcemate putaretur eſſe miles (9) ſeculi interior tamen habitus oſtendebat non ficte militem eſſe Dei.

Cumque idem beatus Proſper cujus juxta Apoſtolum converſatio jam in Cœlis erat Chriſti Apoſtolorum limina peragraſſet (10) preceſque ſuas Domino ſuppliciter obtuliſſet mox fama ſanctitatis (11) il-

obſervabant, *Aquarii* qui aquam ferebant, *Diatari* qui diætam, ſeu locum comeſtionis curabant &c. qui propterea ita viles, & pene infames cenſebantur, ut publicis muneribus, ac officiis ſe ſe immiſcere a legibus vetitum eſſet. Ab Heris autem quandoque ob optimè præſtitum ſervitium, vel etiam ex peculiari animi propenſione, aut liberalitate ab oneroſo ſervitutis jugo ſolvebantur, ac libertate donabantur, certis ſervatis ritibus, de quibus hìc dicere nihil attinet. Quod autem ad rem noſtram, num ſervos, ancillaſque hujuſmodi, una cum auri, argenti, gemmarumque copia poſſederit, aut habere potuerit Aquitanus Proſper, ea potiſſimum tempeſtate, qua Aquitania a Barbaris miſerrime oppreſſa, ac juſto Dei judicio pene devaſtata jam fuerat, Lectorum judicium eſto.

(9) *Miles ſeculi*. Si militem revera ſeu bellatorem intelligit, unde quæſo id hauſit Scriptor hic ſeculi XII.? Figurate autem loqui non videtur.

(10) *Apoſtolorum limina peragraſſet*. Quiſquis Chriſtianorum Romam loca ſacra veneraturus petebat, ad limina Apoſtolorum accedere dicebatur; quæ phraſis etiamnum perſeverat. Vetus hic loquendi modus, tum in Bullis Pontificum, cum in pleriſque Scriptoribus uſitatus, nil aliud importat, quam venerationem, ſeu viſitationem devotam ſacrorum pignorum Petri & Pauli. Limen etenim ex greca voce λιμὴν derivatur, quæ Portum, ſeu ingreſſum ſignificat; illa namque beatorum Apoſtolorum ſanctuaria, in quibus tantorum Principum Corpora conduntur, quæque Barbarorum, aliorumque chriſtiani nominis hoſtium ſævitiam toties evaſerunt, verè Portus dicuntur, veluti noſtrarum peregrinationum aſyla. De his Bolland. in Act. SS. Febr. pag. 330. Angelus de Nuce in Not. ad Chron. Caſſin. l. 2. c. 3. aliique.

Digitized by Google

(11) illius ad summi Pontificis notitiam beati videlicet Leonis Pape luculentissimi qui eo tempore in

(11) *Fama sanctitatis illius*) Post Sixti Pontificis obitum, qui contigit die undecima Augusti (non vero V. Kal. Apr. ut vult Baron.) An. 440., cum vacasset sedes quadraginta & amplius dies, eodem anno vigesima secunda Septembris Leonem S. R. Ecclesiæ Diaconum ex Galliis redeuntem, ab omnibus exoptatum, patienterque expectatum, in Romanum Pontificem ordinatum fuisse nos docent Prosper in Chron., Marcellinus Comes, & alii. Hæc cum certissima sint, improbabile videtur, quod ad Leonem jam Pontificem, ut scribit Auctor noster, notitia Prosperi Aquitani primum pervenerit. Et quidem in Galliis dum versaretur Leo, ut inter Duces Romani exercitus Albinum, & Aetium amicitias componeret, atque Manichæorum, Pelagianorumque hæresibus, ibidem jam ebullientibus contrairet, quemadmodum scriptis, teste Photio, fecit, Prosper Aquitanus doctrina ac zelo catholicæ fidei, quam strenue in Galliis tuebatur, prælucebat. Perperam ergo dicitur hic, post pontificatum solummodo, Prosper innotuisse Leoni. Prosper, inquam, ille, qui multos ante annos plures Tractatus ediderat, scilicet contra Pelagianos de Inst. Virg. contra Semipelagianos in Capit de gratia & lib. arb. Contra Cassianum carmine de Ingrat. In Vincent. Lirinens. ac contra adversarios D. Augustini. Magis vero confutatur hic Auctor, quod Prosper ex præscripto Apostolicæ Sedis Capitula celeberrima de gratia divina Spiritu Sancto afflante, ut ipse dicit, exaravit; quodque ob sanctitatem, & doctrinam multis jam ante annis vel magno Augustino trans mare in Africa degenti notissimus erat. Sed hæc satis ut evincam, non esse fidendum huic Auctori seculis prope septem distanti, quod Prosperi Aquitani fama, qui ob sanctitatem, doctrinam, ob Augustini disciplinam, ob bellum tandem contra Semipelagianos pro vindicanda Christi gratia honestissime susceptum, clarissimus erat, tunc solum ad Leonis aures pervenerit, cum jam Petri sedem occuparet. Crediderim potius, vel ante discessum e Galliis a Leone jam electo itineris socium adscitum, vel jam in cathedra sedente ex Aquitania accersitum, ut opera ejusdem uteretur ad hæreses intra Urbem grassantes confutandas, conjunctimque profligandas. Opinioni seu persuasioni huic meæ faces præbere videtur Photius, ubi ait; *Romæ etiam quidam pro hæresi libere locuti sunt, quos Vir sane divinus Prosper, libellis adversus eos in vulgus editis, facile dissipavit, extinxitque, Leone etiamnum, quem diximus Romanam sedem gubernante.*

Digitized by Google

in Urbe Roma que totius Orbis est caput statum Ecclesie doctrina pariter & exemplo inreprehensibiliter gubernabat perlata est. Quem illico prelibatus Papa Sancto instigante spiritu simulque Christi precepto subnixus quo precipitur qui vos recipit me recipit intra hospitalia proprie sedis accitum officiosissime suscipiens ejusdem caritate fraterna interveniente potitus alloquio nimio cepit jucundari tripudio. Nam sicut olim beatus Petrus ex adventu & individua societate Pauli Apostoli cum se primum in Urbe Roma viderunt letatus fuerat preque gaudio lacrimas (12) fudisse pro certo novimus haud secus

(12) *Lacrimas fudisse*. Quamvis expresse in sacræ scripturæ paginis non habeatur Petri Apostoli in Urbem Romam adventus, attamen implicite id satis superque indicari non dubitamus. In prima etenim Petri Epistola, Urbem Romam Babylonis nomine indigitavit Apostolus ipse cum ait, *salutat Vos Ecclesia quæ est Babylone collecta*; quæ quidem verba, non de alia quam de Urbe Roma esse intelligenda, antiquis Patribus, (ut Joh. in Apocal. c. 17. Tert. adv. Jud. c. 9. Hier. cat. vir. illus. Aug. de Civ. Dei c. 22.) Theologis, ac catholicis fere omnibus usque ad sec. XVI. persuasum fuisse, exploratum habemus. Nonnulli vero inter Novatores primatum in Romano Pontifice, ut Petri Successore ægre ferentes, vetustam hanc, certamque traditionem evertere conati sunt, verba Petri de vera Babylone, non de Urbe Roma intelligi debere contendentes. At incassum se huc usque laborasse experiuntur; itineris namque Petri, ejusque prædicationis, non in vera Babylone, sed in Urbe Roma satis clara est mentio apud apostolicos Patres, Papiam nempe, Clementem Alexandrinum, Origenem, & Tertulianum, præter quamplures alios, qui sæculis immediate sequentibus scripsere, Irenæum videlicet, Presbyterum Cajum, Dionysium Corinth. Episcopum, Eusebium Cæsariens. &c. Sed & nonnulli etiam ex ipsorum Acatholicorum classe Doctores in eamdem transire sententiam non dubitarunt; adeo ut indurati in pravum animi argumentum sit, alium venari significatum. At unde sacrorum librorum hauserit Scriptor certitudinem, quod Petrus Romæ obviam Paulo factus lacrymas fuderit, ignoramus.

Vide Nat. Alex. Sec. 1. Dissert. XIII.

Digitized by Google

secus summus iste Pontifex ex adventu tanti Viri tamque in sanctarum scripturarum dissertionibus prudentissimi gratulanter exultabat. Eo namque tempore sicut in Libro refertur Apostolicorum (13) per diversa sancte matris Ecclesie loca maxime quidem in Civitate Calcedona Eresis Euticiana simul & Nestoriana. ex fonte scilicet Diaboli profusa pullulabat que unam dumtaxat (14) naturam in Christo

(13) *Apostolicorum*. Sub Apostolicorum Patrum denominatione, illos tantum intelligi, qui vel ipsorum Apostolorum auditores fuerunt, vel non multum temporis ab illis distarunt, omnes ecclesiasticæ Historiæ Scriptores consentire, nemini ignotum est. Qua igitur ratione antiqui Patres qui de Eutychiana, ac Nestoriana Hæresi confutando meminerunt, quique quadringentos amplius annos ab Apostolis distarunt, Apostolici hic nominentur, non video. Multo minus autem hic *Apostolicorum* Liber, siquidem a vulgatis, recensitisque diversum, velit intelligi, qui sit, conjicere possumus.

(14) *Unam dumtaxat naturam*. De istarum hæresum initiis hæc sunt quæ pro certis habentur. Nestorius, qui monasticam vitam antea professus fuerat, ac sanctitatis famam etiam affectaverat, Theodosium Imperatorem adduxit, ut post Sisinii mortem, ad sedem C. P. ejus patrocinio eveheretur. Hanc igitur Anno 428. cum occupasset, venenum, quod diu pectore conceperat ab ipsis episcopatus initiis evomuit; atque Dorotheo præcone, seu ut aliis placet Anastasio Presbytero, teterrimæ in Deiparam hæresis semina jecit. Dorotheum namque publice insurrexisse narrat Cyrillus Ep. ad Acac. Beroens., illamque propugnasse coram Nestorio in Ecclesiæ suæ Cathedra sedente, plurimumque approbante. Socrates autem paullo aliter id narrat l. 7. c. 32 cujus hæc verba; *Anastasius Presbyter, qui una cum eo* (i. Nestorio) *Antiochia illuc venerat, ejusque consuetudine semper usus erat, & in magno honore ab illo habitus, eique in rebus gerendis consiliarius, quodam tempore in Ecclesia docuit, Mariam a nemine Deiparam vocari debere; eam enim hominem esse, & ab homine Deum non posse nasci*. Quæ verba, omnium animos tam clericorum, quam laycorum magnopere turbarunt. Porro, & huic hæresi aliam addidit Nestorius, Christum videlicet in Virginis utero efformatum, non Deum, sed ab Uni-

Digitized by Google

sto Jesu Domino nostro contra fidem catholicam asserere nitebatur naturam. Quorum igitur ob nefandam perfidiam prefatos Pontifex Leo destruendam simul cum beato Prospero (15) viro quidem eruditissimo vel reliquis Romane Ecclesie Presulibus Christiane fidei zelo succensi collatione facta juxta regu-

Unigenito Dei verbo diversum, in quo, ceu in Templo, Deus habitationem elegerit; proptereaque Deum nec natum, nec passum, nec mortuum dici ullo modo posse; Contra quas impietates Alexandrina Synodus primùm A. 430. postea Ephesina A. 431. sunt coactæ; in quibus anathema Nestorio, ejusque sectatoribus auctoritate apostolica pronunciatum est. Evtychiana vero hæresis circa annum 442. ortum suum duxit Dioscoro presbytero (postea Alexandrino Episcopo) ac Eutychete itidem presbytero faces præferentibus. Hic itaque Evtiches asserebat, servatorem nostrum Dominum Jesum Christum, ex duabus quidem naturis derivasse, sed non in duabus substitisse; ac propterea naturam tantum humanam, non divinam sortitum esse. Contra quem Cpolitana primùm indicta, deinde Calchedonensis sexcentorum & amplius Episcoporum celebrata est Synodus An. 451. In hac, actione v. statutum fuit, unum eundemque Dominum nostrum Jesum Filium Dei unigenitum, non satis esse ex duabus naturis dicere, sed præterea confitendum in duabus inconfuse naturis immutabiliter, indivise, & inseparabiliter subsistere; Nestorio & Evtichete, una cum eorum sociis anathemate perculsis.

(15) *Simul cum B. Prospero*. Contra Nestorium, ac Eutichetem qui tunc temporis voce, ac scriptis præ ceteris decertarunt, Leo Pontifex, Cyrillus Alexandrinus, ac Proclus Cyzicenus, Episcopi fuere; Prosperum vero Aquitanum celeberrimis illis concertationibus se se immiscuisse, nemo scripsit. Unus tantum Gennadius, post Prosperi obitum celeberrimus Scriptor, nonnullos opinari, non scire, dixit, Leonis Epistolam ad Flavianum a Prospero Aquitano dictatam, ex styli forsitan, ac simili quadam verborum conformatione id inferentes. At qui rem serio perpenderit, illum quidem quæ gesta tunc fuerant, in chronico suo, ceu alibi narrasse comperiet, in eam autem arenam cum aliis aperte descendisse, non inveniet.

Digitized by Google

regulam (16) catholice fidei in Synodo Nicena constitutam sanctam (17) Trinitatem pariter confessi sunt . simul & in uno Christo Deo videlicet nostro ante Luciferum ex Patre genito & Homine in fine seculorum de Virgine nato duas naturas prout sancta fatetur Ecclesia asserentes predictas hereses ore vertoico contriverunt . ipsosque Antichristos Euticen scilicet & Nestorium juxta cirographum tunc ad Marcianum (18) Imperatorem directum conso-

na

(16) *Juxta regulam catholice fidei* . Qua nempe statutum fuit credi debere, in Deum Patrem, æternum, omnipotentem, filioque consubstantialem; in ipsum Filium a Patre genitum, non factum, ipsique Patri consubstantialem, ac Deum de Deo; & in Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedentem.

(17) *Sanctam Trinitatem*. Antiquissimum Hymnum in Sanctissimæ Trinitatis honorem ab Apostolorum ferme temporibus in Ecclesia decantari solitum, nempe, *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto* , subdole corrumpentes Ariani , ut scilicet Filio ac Spiritui Sancto æqualitatem adimerent , sicque pronunciari debere asserentes *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto* , Concilii Nicæni Patres, damnata hac phrasi, veterem ritum ut sanctum & apostolicum retinendum statuere, alteramque ei addiderunt partem, sicut erat in principio , & nunc , & semper , & in secula seculorum.

(18) *Ad Marcianum Imperatorem* . Theodosio Imperatore e vivis repente sublato , Marcianus Senator, (cui Pulcheria Augusta defuncti Imperatoris Soror, & ab illo in Imperii consortium jam adscita , ob Reipub. bonum se se nuptum , salvo castitatis proposito , dedit,) Imperii habenas statim, ac suscepit, cum hæreticorum thecnis non pateretur se decipi , sicuti Theodosio turpiter evenisse exploratum est, de Synodo œcumenica congreganda , Leone Pontifice hortante, plurimum cogitare cœpit ; Quare sequenti anno , nempe 451. Calchedone congregata fuit , ac glorioso fine absoluta . In illa vero , Imperatorem ipsum inter Præsules adstitisse quamvis non abnuamus , sub initium attamen , & in prioribus Synodi sessionibus adfuisse (quicquid sentiat Baronius) haud consentimus ; id etenim nec ex ullius synchroni Scriptoris Testimo-

nio,

Digitized by Google

na fidei voce dampnarunt. Dumque per aliquantum tempus (19) reverendus Prosper cum jam dicto

nio, neque ex ipsius sanctæ Synodi actis conjicitur; in quibus, sextæ tantùm Sessioni primùm legitur interfuisse. In eadem vero sessione quid contra Nestorianos, Eutichianosque de fide tenendum sancitum sit, hacce formula in compendium redactum est; *Sequentes igitur Sanctos Patres, unum, eundemque confiteri Filium Dominum Jesum Christum constanter omnes docemus, eundemque perfectum in deitate, eundem perfectum in humanitate, Deum verum, & hominem verum, eundem ex anima rationali & corpore, consubstantialem Patri secundum divinitatem, consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia nobis similem, absque peccato. Ante secula quidem a Patre genitum secundum Deitatem, in novissimis autem diebus eundem propter nos, & propter nostram salutem ex Maria Virgine Dei-genitrice secundum humanitatem; unum eundemque Christum Filium, Dominum unigenitum in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indivisè, inseparabiliter agnoscendum: nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ in unam personam, atque subsistentiam concurrentibus: Non in duas personas partitum, atque divisum, sed unum eundemque Filium unigenitum Deum Verbum, Dominum Jesum Christum, sicut ante Propheta de eo, & ipse nos Jesus Christus erudivit, & Patrum nobis Symbolum tradidit.* Hæc sunt quæ circa fidei regulas in ea Sessione præsente Imperatore Marciano sancita fuere. Utrum vero hæc definitio sit intelligenda chirographi nomine, quod eidem Marciano, Scriptore hoc nostro asserente, directum fuerit, nemo audebit facile definire, cum id ex actis non constet; & sane, ut quid Imperatori Chirographum dirigere opus erat, cum ibi præsens adesset? aliud verò divinare frustraneum puto.

(19) *Aliquantum tempus*. Quo præcise anno Prosper Aquitanus ad beatum Leonem Pontificem vel sponte vel vocatus profectus fuerit, aut quanto tempore, vel quo in officio apud ipsum aliquando diversatus sit, e tenebris adhuc non satis erutum. Id certe clarum est, atque in confesso apud omnes, Prosperum Aquitanum præfato Pontifici aliquando adstitisse, ut ad Manichæorum, & Pelagianorum hæreses profligandas adjumento esset. Eminentissimus Card. Baronius, ex eo quod in lib. de Promiss. div. c. 6. circa

Digitized by Google

cto Papa Leone precibus illius devictus Deoque volente ibidem moraretur oppido necessariis ad diversas Ecclesias directis Epistolis multisque hæresibus ipsorum dogmate contritis. velletque jam destinatum carpere iter. idem sanctus Papa Leo celitus per visum ammonitus eidem beato Prospero futura Episcopalis dignitatis in Civitate (20) Emiliensi ore

ca finem, cujusdam Flori fiat mentio, qui ad animarum subversionem illicita moliebatur, ob quæ e Campaniæ finibus pulsus fuerat; asseratque Libri præfati Scriptor se eo tempore in ea Campaniæ Provincia diversatum, cum ait; *in Italia nobis apud Campaniam constitutis, cum venerabilis & apostolico honore nominandus Leo Manichaeos subverteret, & contereret Pelagianos*; autumat doctissimus Annalista, e Galliis tunc temporis Prosperum accersitum, circa annum scilicet 455. sed cum illud opus eruditioribus nostræ ætatis tanquam genuinus Prosperi fœtus minime arrideat, constetque, Manichæorum, ac Pelagianorum errores tunc temporis in Campania grassantes a solo Leone confutatos, ipsumque Prosperum, Photio teste, non nisi post aliquod temporis eosdem errores Romæ rursum enascentes dissipasse, profecto infertur, adventus illius epocham anno 455. Baroniano argumento nullatenus figi posse. Photii verba hæc sunt; *Cum temporis deinde progressu, secta illius Homines* (Pelagiana hæresi infecti) *per hæresis suæ abjurationem Ecclesiæ restituti essent, iterum malum ab ipsis principium sumpsit, ut Septimio Episcopo renascens eadem lues, antequam longius serperet, fuerit reprimenda, datis ad Leonem Romæ tunc sedem apostolicam tenentem literis; Qui Leo ferventi zelo contra impietatem illam depugnavit. Post non diu rursum veluti existere, atque enasci e mala radice impudenter cum cœpisset, Romæ etiam quidam pro hæresi libere locuti sunt, quos vir sane divinus Prosper libellis adversus eos in vulgus editis facile dissipavit, extinxitque, Leone etiamnum, quem diximus Romanam Sedem gubernante*; ex quibus verbis, ea præcipue observanda occurrunt, nempe *Leonem etiam-num Romanam Sedem tenente*, quæ ejusdem Pontificatum jam diu exercitum innuere videntur.

(20) *In Civitate Emiliensi*. Regium Lepidi, *Æmiliam* olim dictum nonnullos ex nostris credidisse jam memoravimus in prima par-

Digitized by Google

parte Commentar. Monasterii D. Prosperi. Auctores etiam eruditione præclaros idipsum asseruisse jam vidimus; at cum assertæ denominationis tempore & multum posteriores sint ipsi, & quæ ab ipsis afferuntur ad id probandum argumenta, seu a chirographis, seu a nummismatibus petita, non satis ponderis habere visa sint, ut nobis, veritatem inquirentibus, id possent persuadere, parvi fecimus. Verum cum sciamus, eruditos quosdam nostræ etiam ætatis Viros, minime approbare, quod id a nobis omnino negetur, idcirco non inutile fore putavimus, si quæstionem hanc ad examen iterum revocaremus, simulque opinionis nostræ fundamenta aliis expendenda hic exhiberemus. Apud omnes igitur in re geographica ac historica non advenas, illam tantum Italiæ partem *Æmiliam* audire, quæ ab Arimino Placentiam usque protensa, a via per ejus medium discurrente nomen mutuata est, tam certum, quam quod certissimum. Id exacte, & erudite explicat doctissimus Pancirolus noster, cujus verba hic afferre placet: *Gallia togata, erat tota ea regio qua est intra Padum, Appenninum, & Rubiconem, ac Trebiam, ut Plinius, Ptolomausque volunt; ita dicta, quod toga Romana ejus incola uterentur. Totus hic tractus in duas regiones dividitur Flaminiam & Æmiliam: Nam M. Æmilius Lepidus, & C. Flaminius Coss. devictis Liguribus Apuanis, ne in otio milites essent, alter Bononia Ariminum usque viam a se Flaminiam dictam stravit, alter Placentia ad Ariminum viam Æmiliam vocavit. Itaque Flaminia appellata est, qua a Tiberi Ariminum ducit; Æmilia, qua Placentiam Arimino tendit. Nos vero ita dividemus, ut quod est ab Æsi ad Aternum fluvium, sit Picenum, seu Marchia Anconitana; ab Æsi ad Rubiconem sit Flaminia, quam nunc Romandiolam appellant; inde Placentiam usque, aut ad flumen Trebiam, Æmilia. Marcus enim Æmilius Lepidus ibi Proconsul Civitatem Regii dirutam instauravit: quod etiam ostendit hac antiqua Inscriptio,* M. LEP. C. REG. INST. *quam Valerius Probus ita interpretatur* Marcus Lepidus Civitatem Regii instauravit; *ibique Forum causarum habuit, unde Regium Lepidi & Forum appellatur. Hac regio ab ipso Æmilia est dicta, qua prius Aurelia vocabatur; sed hodie tota Bononiam usque sub nomine Lombardia censetur.* Hæc Panc. in Tract. apud me Ms. de Magistratib. Imp. Rom. cap. 113. Ex via igitur Æmilia sic dicta a M. Æmilio Stratore suo, facta demum Provincia est, ut ait Sigon. in not. Imp. Occident. c. 59 eique Consulares præfecti sunt, ut & de D. Ambrosio legitur. Hujus porro regionis fines, licet Langobardorum ævo ampliores, ac invariatos; contractiores tamen seu decurtatos,

exa-

exacto Langobardorum Imperio, erudite nos docet Anonymus Mediolanensis, seu Joannes Gaspar Beretta Ordinis nostri Monachus in sua medii ævi Tabula Chorografica; Ei tamen non assentimur in eo, quod in Francorum documentis duplicem Æmiliam indigitari putat, nempe Regionis, & Civitatis: *si enim Regio*, sunt verba Anonymi, *non alia quam tractus ab Agro Bononiensi ab occasu ad Ariminum; si Civitas, non alia quam Ravenna, vel pars*; sic ille pag. m. 48. n. 30. Doctissimo autem Auctori negotium facessisse videtur, quod in quibusdam Diplomatibus Æmilia tanquam Civitas ab Exarchatu Ravennatensi aliena videatur, & quodammodo distincta, cum de illa tanquam ab Exarchatu seposita habeatur mentio; Ludovicus enim, Otto, & Henricus, dicuntur concedere *Exarchatum Ravennatem sub integritate, hoc est, Civitatem Ravennam, & Æmiliam, & Bobium*. At, cur exprimere *Æmiliam*, inquit Anonymus, si est Regio in Exarchatu contenta? *certissime igitur*, concludit, *Æmilia Urbs, & nonnisi Ravenna, vel pars*. Sed perperam; Nec Ravennam, nec partem ejus aliquam, nec Civitatem aliam sub Æmiliæ nomine intelligi, constanter asserimus. Anonymi namque argumento reponi posset, eccur exprimere Civitatem Ravennam, si & ipsa jam in Exarchatu contenta? repetitio hæc inanis utique fuisset. Expressis igitur Exarchatus finibus seu extremitatibus, *Ravenna* nempe, & *Bobio*, Æmiliam seorsim, tanquam peculiarem Provinciam, in qua aliæ etiam Urbes, Bononia nempe, Mutina, Regium, Parma, & Placentia comprehendebantur, optime expressam voluere, licet & ipsa in Exarchatu contineretur; neque enimvero opus erat illius Civitates enumerare, cum sub *Æmiliæ* proprie dictæ vocabulo contineri sat notum esset; quod quidem de Civitatibus aliis trans Bononiam sitis verificari non poterat, cum in alia Æmiliæ parte comprehenderentur; quæ pars, *Æmiliæ* denominatione antiquata, *Flaminiæ* potius quam *Æmiliæ* nomine exprimeretur, ut & ipse doctissimus Anonymus conjectat. Assertioni huic majus robur accedit ex iis, quæ in D. Petri Dam. Ep. ad Cler. Episcopumque Placentinum habentur; nempe; *Anno 1106. celebravit Dominus Papa Paschalis Concilium* &c. *In hoc Concilio constitutum est, ut Æmilia tota cum suis Urbibus, idest Placentia, Parma, Regio, Mutina, Bononia, nunquam ulterius Ravennati Metropoli subjaceret*; Utrasque igitur Provincias, quæ trans & cis Bononiam erant, *Flaminiam* nempe *Æmiliamque* nostram, sub *Æmiliæ* nomine satis expressas putavere, & voluere Imperatores Serenissimi in eorum Diplomatibus, quod intra Exarchatus fines comprehendebantur

am-

Digitized by Google

ambæ. Ravennam igitur semper Ravennam, non Æmiliam dictam indubitanter concludimus; Nec officit, quod, Agnello teste, *Melisa* etiam dicta sit aliquando; quamvis enim & id concederemus, quòd tamen ex tali corruptione vocis prodire potuerit *Æmilia*, ut vult Anonymus, omnino negamus; Scriptori seculi xv. Gobellino id hariolanti, eandem fidem prorsus habendam censemus, quæ Azzario, aliisque nostris ejusdem ævi Scriptoribus, qui ut ipsam hanc Urbi nostræ denominationem affigerent, frustra laborarunt. Et quidem si eorum momenta rationum, quibus fulciuntur maxime, serio perpendantur, idoneo antiquitatis teste quum sint destituta, nec nisi emendicatis speculationibus firmata, parvi facienda existimamus; si enim ex numismatibus petantur, nil futilius, cum ut in supradictis Commentariis nostris observavimus, eo seculo cusa fuerint, quo talis denominatio, (etiam si aliquando ipsi Urbi communiter donata fuisset) prorsus obsoleverat, nec unquam a Scriptoribus, vel Historicis, vel in actis etiam publicis adhibita sit, in quibus, nunquam *actum Æmiliæ*, sed *actum Regii*, vel *Regio* perpetuo legitur. Si vero a vetustis (quæ tamen pauciora sunt) monumentis argumenta petantur, nil obscurius; Duo tantum mihi cernere hactenus datum est, quæ ad tuendam hujusmodi denominationem aliquid subministrare videntur, quæque fortasse Scriptoribus nostris errandi occasionem obscuritate sua præbuere; Alterum est Heribaldi Episcopi Anno 943. quo Canonicæ Sancti Michaelis *Ecclesiam quandam D. Thomæ* concedit, *positam in Regio Civis vetere*; per quod videtur indicari alia a Regio diversa Civitas, & hanc Æmiliam credunt; Alterum in Archivo Canonicorum Cathedralis diploma, quo Clemens III. dictus, Pseudo Pontifex, confirmans bona Canonicæ Anno 1092. eaque enumerans hæc habet; *decima* (petia terræ) *in Civitate quæ vocatur Regium, cum omni integritate, & Marsia, & omnes res, quæ sunt in circuitu Civitatis, quæ vocatur Æmilia*. Sed quid inde? nil plane certi. Quod ad Heribaldi etenim documentum attinet, & nos concedimus, eo tempore alia potuisse esse antiquæ Civitatis jam primum sub Regii nomine a Lepido excitatæ vestigia, quæ, ab aliquibus, ne terræ, quæ circum ipsa erant, cum iis quæ circum Regium novum extiterant, confunderentur, ad novæ Civitatis diferentiam sub *Æmiliæ* nomine distinguerentur, non quod vere sub *Æmiliæ* Civitatis denominatione populi unquam extiterint; de Civibus namque *Æmiliensibus* sic dictis, atque a Regio diversis, nec scimus, nec somniare est. Quo ad alterum vero Pseudo-Pontificis documentum, ecquis est qui nesciat, Pontificum, Regum, aliorumque

Diplo-

Diplomata, in Civitatibus, locisque enunciandis, juxta libellorum supplicum tenorem eis porrectorum exarari solere? proindeque vocabula Terrarum, Villarum, finium, Oppidorumque in illis enunciatorum, soli exponentium veritati relicta. Permittimus tamen, quod Regium nostrum ab aliquibus elegantiæ etiam causa *Æmilia*, seu *Æmiliensis Civitas* potuerit nuncupari, quomodo Roma *Romulea*, Bononia *Felsina* sicque de cæteris; sed quid? fortasse ne inferri potest, quod Roma communi usu, & in actis publicis appellata sit *Romulea*, vel Bononia *Felsina?* nil minus; Ut enim Provinciæ, Civitati, aut Pago novam communemque denominationem affictam fuisse probetur, id ex Lapidibus, Chartis, aut numismatibus antiquis, synchronisque, non ex poeticis, aut popularibus epithetis peti debet. Quis vero est, qui ignoret, in scripturis fere omnibus, Instrumentis, actisque publicis, & privatis, antiquiori etiam ætate confectis; non *Æmiliæ*, sed *Regii* tantum Urbem nostram ubique gentium perpetuam denominationem obtinere? Et quidem, si quis nostrum, Urbem hanc ex Lepido restauratore *Lepidam* aliquando elegantiæ causa vocaret, inferri ne posset, quod *Lepida* proprio nomine dicta fuerit? Lepida sane esset deductio. Sed tacitus præterire non possum, celeberrimum Muratorium To. 3. Antiq. medii ævi, tam ex præfatæ Bullæ verbis, quam ex nummismatibus, dubium se in hac re profiteri, & quid definiendum, ignorare; Verùm, cum & rationibus ex Bulla petitis, satis jam nos fecisse credamus, & nummismata ut pote antiquitate destituta, ad id evincendum sat roboris haud habere demonstraverimus in supra citata Commentariorum nostrorum Parte prima, ad ipsius hæsitationem, veniam a Viro doctissimo enixe petentes, non accedimus.

Libratis igitur quæ in hujusmodi quæstione a nostris afferri solent, & quæ nobis probabiliora videntur, expositis in medium meliora si proferantur, libentissime assentiemur; *neque enim ii sumus, ut comprehensam nostro ingeniolo veritatem semper gloriemur*, ut cum Lactantio loquar. Superest modo, ut & sententiam nostram de Æmiliensis hujusce Civitatis, seu Regii Lepidi antiquitate, quæ de ea dici possunt, seclusis fabulis, summatim complectamur. *Regium* igitur vel a *Regio* Tuscorum Duce, vel a soli amænitate appellatum putamus; vel fortasse etiam, quod a cæteris Oppidis, vel ditione, vel gentibus, vel alia nescio qua peculiari separatione esset distinctum, a græco scilicet ῥήγνυμι quod latinis *divisio*, quemadmodum de alio Calabriæ Regio Cassiodorium jam notasse animadvertimus, l. 2. variar. ubi hæc habet;

Lact. lib. de ira Dei cap. 1.

Rhe-

Digitized by Google

Rhegienses Cives ultimi Brutiorum, quos a Sicilia corpore violenti quondam maris impetus segregavit, unde Civitas eorum nomen accepit, divisio enim Ῥῆγμα græca lingua vocitatur. Illius initia antiquissima esse concedimus, sed nobis adhuc ignota; id quod certum putamus est, non in amæna hac planitie, ut modo visitur, fuisse primitus fabrefactum, quæ tunc sylvis, ac paludibus erat obsita; sed ad Apenini montis radices, in ea scilicet parte, quæ Runculi Villæ dat nomen, ex lapidibus, nonnullisque antiquitatis monumentis ibi effossis, Azzarii testimonio, aliisque haud spernendæ probabilitatis argumentis, conjecturisque sustineri posse videtur. Ipsum autem deinceps, ut ea ferebant bellorum civilium tempora, atque calamitates, a Gallis, seu Boiis, aut Barbaris non semel eversum, sicut & de finitimis Urbibus, Castris, Oppidisve evenisse non ignoramus, a M. Æmilio Lepido Viro proconsulari eodem in loco excitatum, ac deinceps siccatis paludibus, sylvisque planitiem hanc amænissimam operientibus, excisis, juxta viam a se stratam, ac Æmiliam ab ejus nomine dictam, eo loco ubi nunc est nobilius erectum, seu restitutum, instauratumque fuisse non ambigimus; propterea inibi Forum ad justitias reddendas instituisse, illudque præ cæteris delegisse, plurimi haud sublestæ auctoritatis Scriptores nos edocent; unde postea *Forum Lepidi* perpetuo a Scriptoribus appellatum. Nec vero quorumdam ex nostris opinioni acquiescere possumus, qui nimio Patriæ splendore fascinati conantur suadere, Lepidum sibi elegisse hoc Forum, non quod esset Oppidum, sed celeberrima, famosissima, atque amplissima Civitas, quasi indecens videretur, Virum talem, tot tantisque Civitatibus posthabitis, parvum Oppidum ad jura tot gentibus dicenda sublegisse; de tanta etenim Regii nostri amplitudine, ac dignitatis fama, nullum apud antiquos ne subobscurum quidem habemus argumentum. Ejusmodi attamen tunc fuisse Regium opinamur, ut satis aptum censeretur muneribus Viri Consularis obeundis, atque commodum, quamvis non amplissima, ac celeberrima Civitas; Id enim loci sibi delegisse putamus præ cæteris, quod ab ipso instauratum, quod commodiori situ, ac forsitan salubriori Cœlo; atque in ea assignatæ sibi Provinciæ parte, unde posset Regionibus, ac Civitatibus proconsulari juri subjectis, citò, cum opus foret, adesse. Vero simile autem est, pluribus ab eo monumentis ornatum, ac propterea præ cæteris Urbibus sibi charum. Valerii autem Probi auctoritati acquiescere haud possumus, in supra memorato Lapide a Pancirolo allato, literam *C* pro *Civitate* interpretantis, cum probabile sit, dignitatem po-

Digitized by Google

ore prophetico depromsit presagia. Quod ille audiens reluctari cepit. seque tanti ponderis sarcinam ferre non posse respondit. Sed quia obedire Deo opportebat magis quam hominibus. mox predictus Pontifex eundem Prosperum Deo sibi (21) revelante in Civita-te

tius Consularem quam Civitatem innuere, Cæterorum autem Scriptorum Probo subscribentium auctoritates, utpote posteriores, floci facimus. Quibus autem calamitatibus, civilibusque bellis, ac magnatorum tyrannide, subsecutis temporibus, discerptum fuerit, pluriesque eversum, ac restitutum, ex Historicis rerum Italicarum, Scriptoribusque Regiensibus, quos in Monasterii D. Prosperi Commentariis nostris memoravimus, tam notum est, ut notius fieri non possit.

(21) *Deo sibi revelante*. Nulla videtur fuisse ratio, cur Deus ita decreverit, ac Leoni Pontifici revelaverit; Etenim nulla Ecclesiæ Dei utilitas apparet. Ut quid enim Prosperum Aquitanum vel e Galliis educere, vel a Leonis latere divellere, ut Regio nostro, parvo scilicet gregi, nullaque hæresum labe; Deo servante, polluto præficeretur? Nonne satius erat, Virum toto Orbe celeberrimum, lumenque Ecclesiæ præclarissimum, vel Domi relinquere, ut Pelagianorum reliquias ibi adhuc grassantes subjugaret, vel Romæ, ut Pontificis lateri adesset, vel demum illustrioribus Galliarum (vel fortasse etiam Italiæ) Urbibus præficere? Cuinam bono quæso ab Romæ conspectu ipsum subduxerit Leo, ut inter *semidiruta* Urbis rudera occultaret? *Semidiruta* inquam; talem namque fuisse tunc temporis Urbem nostram ex Epistola S. Ambrosii ad Faustum perdiscimus. Tandem, contra Ecclesiæ disciplinam est allata revelatio; Etenim vigebat tunc temporis Nicœni Concilii decretum, quo vetitum erat, ne alicui Ecclesiæ, Episcopo inter vivos adhuc agente, alter assignaretur. Vivebat autem, ut scribit Auctor noster Elpidius Episcopus. De Decreto Nicœni Concilii, quamvis inter Canones non extet, dubitare non sinimur; ejusdem enim meminit, inter alios, S. Augustinus, Quod sane decretum, ac Ecclesiæ praxis, probant, Sanctum Leonem, qui Ecclesiastica jura perfecte callebat, id proprio marte non fecisse. Hæc in caussa sunt, cur hujusmodi revelationem, quæ uni Scriptori nostro, seculis prope septem a D. Prospero distanti innotuit, a ve-

Digitized by Google

te Emilienſi epiſcopali dignitate per ſancti ſpiritus gratiam ſacratum ac ſacerdotali petalo ſublimatum. dato illi pacis oſculo ad ſupradictam Civitatem in qua illum Deus ſibi in ſacerdotem elegerat auctoritate conceſſa. Verum ante ipſo Chriſto ducente ad eandem Civitatem perveniſſet Preſul Civitatis ejuſdem longo jam confectus ſenio relicto carnis pondere diem clauſit extremum. Illico Civitas illa cum univerſo chriſtianitatis collegio pro amiſſo videlicet Paſtore in luctum converſa inremediabiliter triſtabatur. Erat namque in Urbe eadem Presbyter quidam tunc temporis qui ab ineunte ætate inter ipſos laudabiliter preclaram duxerat vitam. cui ſuperna ut credimus providentia per viſum (22) revelatum eſt. quatenus depoſita pro Paſtoris obitu meſticia beati Proſperi Deo digniſſimi viri ab urbe Roma digreſſus Emiliam adventabat ipſum habituri Epiſcopum & a beato Leone ſummo Pontifice ſacratum leti preſtolarentur adventum. Quod dum prelibatus preſbyter Sacerdotibus ejuſdem Urbis ſimul & cunctis Civibus retuliſſet. mox omnium animi voluntate Dei comperta ſunt recreati. Evolutis autem paucis (23) diebus dum juxta condictam Presbyteri revelationem tan-

a veritate putemus alienam; atque eo fortaſſe excogitatam animo, ut Proſperi Aquitani Regienſem Epiſcopatum, additis portentis, in vulgus, qui iiſdem plurimum capitur, funditus imprimeret.

(22) *Per viſum revelatum eſt*. Conſule notata ſupra num. 21.

(23) *Evolutis paucis diebus*. Divo Proſpero Roma Regium verſus proficiſcente, atque adeo itinere ex parte jam confecto, Elpidius Epiſcopus e vivis ſublatus hic aſſeritur. At niſi pene cœcutiat, quæ narrantur univerſa, tam anguſtis limitibus peracta eſſe putabit nemo. Nobis certe nemo facile perſuadeat, intra

 pau-

tanti viri prestolarentur adventum. fama sanctitatis illius precurrente Vir predictus jam fate Civitati appropinquabat. Tunc Sacerdotes universi cognito adventu ipsius cum Clero simul & populo una cum pueris ac devoto (24) femineo sexu obviam exeuntes magno illum cum gaudio susceperunt. Illico autem prelibate Urbis cunctorum civium mentes Chri-
sti

pauco s dies quæ allaturi sumus posse circumscribi. Hæc autem sunt; Elpidii Episcopi longo jam senio confecti ad superos transitus, id est mors haud immatura, inexpectataque, sed præcedentibus (ut par est suspicari) diuturni morbi symptomatibus probabiliter prævisa; funera per viciniores Episcopos, ut moris erat, ac ecclesiasticæ praxi conveniens, qua decuit pompa, absoluta; populorum vexationes, ac diuturnæ pro pari, aut digniori sufficiendo consultationes; hinc subsecutæ, ac præsumptæ revelationes; cœtus universi adunatio; quin & devoti sexus fœminei numerosa aggregatio. Omnia hæc inquam in eam opinionem Nos inducunt, ut a Viris emunctæ naris ad commentitia sint ablegan-da; Vix enim adduci poterit quis, ut sibi suadeat, intra tam breve temporis spatium ea peragi potuisse, quæ longiori dierum intercapedine indiguisse videntur. Præterquamquod celeberrimi, totoque Orbe notissimi Viri plane singularis ordinatio, insuetaque missio ecclesiasticæ praxi contraria, qui fieri potuit, ut densissimis tenebris obvolveretur, & apud omnes Scriptores synchronos, & quidem ipsi Prospero conterraneos, ac etiam peculiari amicitia conjunctos silentio præteriretur? Proh! quam facile insueta hujusmodi portenta ac visiones, ab iis qui falsam pietatis umbram sectantur, accipiuntur.

(24) *Devoto femineo sexu*. Pro devoto sexu fœmineo mulieres religiosas passim intelligi, nullum esse puto qui in controversiam adducere velit; adeo ut sub hac phrasi, non tantum claustrales (si tamen per ea tempora in Urbe nostra, vel Diœcesi fuerunt ullæ) sed & cæteras, quæ seculi pompis posthabitis, Deo Devotæ seu dicatæ, in domibus paternis a secularibus curis segregatæ, spiritualem vitam agebant, dubium non sit comprehendi. An vero & hæ una cum cæteris advenienti, ut supponitur, Episcopo obviaverint, an potius id somniaverit more suo, Scriptor noster, judicet Lector.

V. Nat. Al. sec. IV. *c.* 5. *art.* X.

sti favente clementia que sibi in Civitate ipsa dignum preparabat Antistitem quasi viri unius in unam concordiam redacte. Prosperum sibi Patrem Prosperum sibi pastorem concessumque a Deo Pontificem unanimiter acclamabant. Tunc ille juxta denunciata sibi a Summo Pontifice ne Sancto Spiritui qui ipsum ad statum ejusdem Ecclesie regendum elegerat contrairet quoniam juxta apostolica opportebat Episcopum inreprensibilem esse omnibus se concorditer petentibus ad suscipiendam videlicet episcopatus ipsius cathedram jam coactus. votis illorum annuens liberum (25) eis Deo volente prebuit adsensum. Adepta itaque tante sublimitatis excellentia Sanctissimus Prosper continuo ne lucerna Christi lumine accensa sub modio lateret catholice fidei dogma & evangelice predicationis archana ut bonus pastor ovibus celitus sibi commissis voce viva pandere cepit. Quamvis me (26) fratres carissimi inter primor-

(25) *Liberum eis prebuit adsensum*. Liberiore hoc adsensu, populorum votis quodammodo extorto ab reluctante Episcopo, quid opus erat, si præsumatur a D. Leone ad id muneris jam coactum, electum, designatum, sacratum ac missum?

(26) *Quamvis me Fratres carissimi*. Orationem ad populum, si non hanc, aliam Dei spiritu plenam, a D. Prospero Episcopo nostro in prima ejus ad episcopalem cathedram assumptione, ut moris, recitatam probabile est. Interim, eam quæ a doctissimo Pancirolo nostro in Hist. MS. Regiens. l. 2. affertur, Lectorem humanissimum non pigeat quod hic transcribamus.

„ Video Fratres clarissimi, quantum meis imbecillibus humeris „ onus impositum fuerit, neque enim major, quam animarum „ cura demandari cuiquam potest; quod quidem onus, eo cer- „ te gravius est, quo qui regendi sunt, majora, & paucis con- „ cessa expectant; judiciis enim hujusmodi, & concitatis sui opi- „ nio-

mordia susceptæ dignitatis judicii vestri grave pondus opresserit. memini tamen quod magna vestre debeam gratie conferre cui Deo volente maxima (27) con-

„ nionibus respondere difficillimum est. Videre jam videor, quid expectetis, & quid de me vobis policeamini. Quare dandam mihi enixe operam intelligo ne quid a me prætermittatur, quod ad verum animarum pastorem pertineat. Verum quia scio, quantum fiat levior sarcina, quam plurimorum colla sustineant, mecum hoc, Filii onus dividite, & sanctum opus partimini; quod erit facile, si vestræ salutis, si mandatorum Dei memores mutuam charitatem amplexamini, de qua, velut de quodam uberrimo fonte mirificæ virtutes emanabunt; scilicet humilitas, proximi dilectio, pax certa, & animorum concordia; Quibus quidem bonis si non carebitis, sicut carere Vos minime decet, nusquam a Vobis Christus aberit, & prospera Vobis omnia cedere videbitis. Hoc erit, quod modo dixi, quodque imprimis opto meum onus dividere: faciliora enim, scio, mihi, & leviora fient omnia; nihil enim tam durum, & tam laboriosum est regenti, quam in perversa hominum incidere ingenia, quæ quo longius a recti semita abjerint, eo difficilius a facinoribus, & improbitate sua retrahuntur. Subditorum virtutes, ac vitia, aut suavem, aut duram faciunt regentis administrationem. Vos quidem, dilectissimi, Populus Dei, & Oves pascuæ illius estis; quare si tales eritis, quales Vos maxime futuros spero, & opto, cessura vobis & mihi feliciter omnia, præsente Deo, minime dubito. Ut autem tales esse possitis, Deum vobis in omnibus rebus proponite; illum imprimis colite, ut æquissimum dictorum, ac factorum omnium nostrum Judicem veremini; justum retributorem, si verba sequemini, districtum Judicem, si mandatorum illius contemptores inveniemini. Hæc sunt, quæ in hujus nostræ pastoralis curæ primordiis vobis dicenda putavimus, quibus & bene currentes in cursu contineamus, & segniores, si qui sunt, ad tardam metam tanquam subditis calcaribus contineamus. „ Quam quidem orationem ab ipsiusmet Panciroli Archivo depromptam, Lector vel parumper catus mecum suspicabitur; cum etenim idoneæ antiquitatis teste sit destituta, fortasse Pancirolusmet ipse de veritate suspectam habuit.

(27) contulistis. Et licet Vobis parendi magis quam jubendi voluntarem habuerim mutavi tamen personam per officium serviendi animum non amisi. Estote ergo caritatis amatores Deum & proximum diligentes. estote humiles estote pacifici estote misericordes estote unanimes. quatinus juxta Apostolorum acta sit vobis cor unum & anima una. quoplacidum fuerit jugiter sectantes. Onus meum dilectissimi Filii mecum dividite per caritatem Christi invicem servientes. sit enim sarcina facilis ad portandum qua multorum colla sustentant. speculanum (28) meæ conversationis interna etsi aliquid indignum cognoveritis caritate interveniente coercete. Nemo quidem Ecclesie principem ammonere timeat si probet (29) errantem. prophetica namque auctori-

(27) *Maxima contulistis*. Si maxima Divo Prospero nostro dicuntur hic Regienses Populi contulisse, profecto ex verbis ipsis infertur, illius electionem a clero, & populo Regiensi primùm factam, indeque a Summo Pontifice, ut moris erat, probatam, confirmatamque. Cui equidem praxi consonant ea, quæ in Ep. Nicol. I. ad Archiep. Raven. *Episcopos per Æmiliam non consecres, nisi post electionem Cleri, Ducis, & Populi.*

(28) *Speculum meæ conversationis*. Barbara hæc nec mediæ, nec infimæ latinitatis dictio quid sibi velit, divinari vix potest. Nisi velimus dicere, amanuensis fortasse oscitatione contigisse, ut *specularium*, seu *specular*, in *speculanum*, & *interea*, in *interna* fuerit commutatum; itaut sensus ejusmodi fuerit, *specularium interea meæ conversationis etsi aliquid cognoveritis* &c. scilicet, in me, qui tamquam specular, seu in specula positus, vel qui apud vos tamquam speculum sistor, a quo & imaginem ad vestram sanctificationem estis accepturi, si aliquid indignum cognoveritis &c.

(29) *Si probet errantem*. Admonendus equidem, corrigendus, & charitate comite, humillime coercendus a populo est etiam Episco-

ctoritate comperimus Sanctissimi Fratres ut unusquisque nostrum ex corde penitens dicat, erravi sicut ovis que periit. & quia juxta prophetam vos populus Domini & oves pascue Christi estis velocius ad observantiam mandatorum currite ut fides vestra non otiosa sed piis operibus per dilectionem pumulata reperiatur. quatinus humeris nostris supportati ad gaudia superni gregis qandoque pervenire valeatis.

Post hec vero tantam Dominus beato Prospero Regiensis Urbis episcopo gratiam predicationis contulit ut nullus foret qui non eum ex caritatis affectu diligeret & hunc verum Dei cultorem acclamaret. Nihil enim arrogantia nihil superbia de moribus illius usurpabat. sed omnibus benevolus in terra positus celestibus se aptum moribus ostendebat. Erat enim fide catholicus aspectu angelicus sermone preclarus opere sanctus corpore castus ingenio optimus conscilio magnus spe pacientissimus & caritate diffusus. Et cum tantis virtutum moribus esset redimitus veterumque prosapia (30) parentum nobiliter decoratus liberalium tamen artium gemmis ita extitit insignitus ut Tullianis in prosa floreret orationibus & maronianis in metro vernaret eloquiis cujus

piscopus; ut ad frugem meliorem; cum opus est, revertatur: Illum autem depellere, aut deponere, nonnisi ad Episcopos synodaliter congregatos spectat *V. Tomass. de Benef. P.* 2.

(30) *Veterumque prosapia parentum*. Divi Prosperi prosapiam, sive ab Aquitania, sive aliunde deductam velimus, in quibus quæso Auctoribus synchronis invenire est? Si fidem Scriptori huic seculis prope septem a Prospero distanti, ac propterea hariolanti quis præstare velit, nobilissimam certe, ac antiquissimam fuisse putabit. At nos vera, prout Historicum decet, persequentes, rem nullo testimonio innixam ad falsa amandamus.

Digitized by Google

cujus hodie luculentorum compositiones librorum universis Ecclesiis luce clarius testimonium perhibent. Ex quibus chronica (31) illius nomine pretitulata que singulorum juxta plenissimam fidem sanctarum scripturarum ab ipsa mundi condictione usque ad obitum Valentiniani (32) Augusti & Romane captivitatem Urbis a Genserico vandalorum rege impie inlatam ordinabili serie continet acta. Triumphalis etiam auctoritatis evangelice dogmatibus pertinacem Cassiani (33) jugulat ac constantissime

(31) ***Chronica illius nomine pretitulata.*** Opus egregium, Prosperi Aquitani nomine vulgatum, & Chronicon inscriptum, quod ab Orbe condito ad Auctoris tempora deductum legitur, apud eruditos variam fortunam habuit. Garnerius vir doctissimus e Soc. Jesu, inter alios, illud Aquitano videtur abjudicasse, & alteri ab Augustini discipulo tribuendum judicasse; idque ex nonnullis erroribus (quos hic enarrare supersedemus,) quibus ejusmodi Chronologum ab Augustini discipulo diversum se evincere conatur. At ei, aliisque ab aliis doctis optime respondetur, quos videre est apud Anthelmum differt. VIII. de veris operibus Sanctorum Leonis, & Prosperi, sicut & apud Anonymi cujusdam doctissimi Observationes in Prosperi Chronicon, editas Amstelodami A. 1733.

(32) ***Valentiniani Augusti.*** Prosperi Chronicon a Valentis Imperatoris morte (quæ anno 378 accidit) singulariter auspicatum usque ad Valentiniani Augusti VIII. & Anthelmii Consulatum, idest ad an. 455. quo est Urbs a Genserico capta, perductum est. Mirum itaque, captuque admodum difficile, si ultra id temporis suam produxit ætatem chronista hic diligentissimus, prout sibi suadere videntur, qui umbratilibus conjecturis pro ejus episcopatu stabiliendo insudant, quique propterea post Valentiniani obitum Prospero Aquitano Regiensibus infulis ornato annos & annos tam liberali munificentia elargiuntur, cur inquam & illud pari diligentia ad finem usque vitæ non continuaverit? Unde quæso hujusmodi defectus? unde hæc conticentia?

(33) ***Cassiani.*** Johannes Cassianus, quem sub finem seculi. IV.

Digitized by Google

ex Scythia ortum duxisse, Gennadio duce, opinantur nonnulli, ex Galliæ Provincia oriundum melius fortasse autumant alii; ipse etenim suæ patriæ amœnitatem, frugumque fœcunditatem describens (quod quidem scyticis squalloribus, ac sterilitati convenire non potest,) occidentali potius quam orientali sub cœlo natum se prodit, ut observavit post Holstennium Eminentissimus Card Norisius, quibus equidem calculum adjicere non dubitarem & ego, ni aliquantulum negotii facesseret Gennadii auctoritas; verum quicquid sit, de re nullius momenti decertandum nobis non est. Id quod in confesso est apud omnes, afferamus; Cassianum scilicet natali solo juvenilibus annis relicto, in Scythiam profectum esse, ut Ascetarum ibi mores, ac instituta pernosceret, edisceretque; ibique in literis, ac pietate multum profecisse. exin a D. Chrysostomo sanctitate, ac doctrina tunc insigni Constantinopolitano adscriptus est clero, diaconusque ordinatus, ut ipsemet narrat l. 7. de incarnat., & Gennadius etiam affirmat cap. 61. de Script. illustribus. Chrysostomo autem in exilium acto, legatione pro eo ad Innoc. Pontificem Cleri totius nomine functus est, ut ex Innocentii Ep. ad Pallad. Sed ubi incassum se laborasse expertus est, (Eudoxiæ in Chrysostomum ira adhuc ebulliente) ipsumque Chrysostomum novit in exilio jam vita functum, anno scil. 407., regionibus scythicis valedicens, Massiliam appulit, ubi, solitudinis, & anachoreticæ vitæ desiderio æstuans, non longe a Civitate Cœnobium construxit. Ibi sanctitatis ejus ac doctrinæ fama in dies percrebescente, a nonnullis Galliarum Præsulibus rogatus fuit, ut Ægyptiorum Ascetarum Instituta compilaret, ipsisque dirigere ad morum normam non abnueret; quod & libenter, & docte præstitit. at pelagianæ pestis erroribus Volumina sua sic infecit, ut non multos post annos damnarentur; Infecit autem, non quod Ecclesiæ catholicæ sensui, ac authoritati se se opponere vellet, sed quod Deum se honorare plurimum putaret, aliquid medii inter Pelagii dogmata, ac ardua (ut ipsi videbantur) D. Augustini placita de gratia, & libero arbitrio, eo fine publicando, ut faciliorem salutis tramitem Viatoribus indicaret, explanaretque. Dum vero hæc Scripta pietatis rore conspersa vulgarentur, dumque ea amplecterentur bene multi; inter hos fuere & Lirinenses monachi, monasticæ disciplinæ observantia maxime florentes, qui venenosas in illis maculas nec dispiciebant ipsi, nec ab aliis inveniri posse credebant. Tanta enim erat Cassiani fama sanctitatis, & doctrinæ apud omnes, ut collationes ejus & doctas, & sanctas non modo arbitrarentur, sed & novas ab eo impensius eflagitarent; quin, & ipsum

non

Digitized by Google

non modo secuti fuerint per Galliam Episcopi fere omnes ut cum Vasquesio loquar, sed a Leone etiam Romanæ Ecclesiæ tunc Archidiacono ibi moram faciente, sic dilectus, æstimatusque, ut in subsidium contra Nestorianos adscitus fuerit, eodemque hortatore Pontifice Libros de Incarnatione composuerit, ac evulgaverit. Porro, venenosa ejus dogmata, quibus Collationes infectæ erant; lynceis zelantissimi Prosperi oculis haud latuere; divina namque facundia, nervosisque argumentis ea statim reprimere, ac diffamare est aggressus, Libro *contra Collatorem*, quem edidit post datam ad Augustinum Epistolam, qua illi aperuerat, quod contra se starent Cassianus, & Asseclæ (Massilienses designans ac Lirinenses Monachos) quos nihilominus revereri se plurimum fatetur ob eorum sanctitatem ac dignitates; *possumus quidem*, hæc ejus sunt verba; *ad credendum esse constantes, sed ad auctoritatem talia sentientium non sumus pares, quia multum Nos & vita meritis antecellunt, & aliqui eorum adepto nuper summo sacerdotii honore supereminent*; hæc religiosissimus Prosper; qui tamen post Augustini mortem non ita modeste in illos invectus est, cum zelo abreptus, veluti calumniatores, Luposque occultos ac hyppocritas ignominiose perstrinxerit; hæreticos tamen nunquam apellavit; quamvis etenim eorum dogmata hæresim saperent, cum tamen nondum ab Ecclesia damnata essent, nec hæretici erant, nec dici poterant; quinimo potius inter catholicos recensebantur, eorumque plurimi post inculpabilis vitæ cursum pretiosa morte obierunt, inter quos Cassianus hic, de quo loquimur, teste Gregorio Magno, qui in Epist. ad Respectam Abbatissam, de illius monasterio memoriam faciens, *quod in honorem*, ait, *Sancti Cassiani est consecratum*. Urbanus etiam quintus Pontifex eundem in pretio habuit, adeo ut intra argenteam Thecam Caput ejus occluserit cum hac epigraphe, *Caput S. Cassiani*. Quin & ejusdem memoria apud posteros sic obtinuit, ut in Ecclesia Massiliensi ejus obitus dies, 23. Julii, quotannis celebretur, ac ecclesiastico officio etiamnum solemniter recolatur; & ante ejus Sepulchrum diu, noctuque lucernam ardere testatur eruditissimus Antonius Pagius in Ann. Barron. A. 433. n. XVIII. Et hæc dicta sint ad nimiam eorum comprimendam libertatem, qui in historia ecclesiastica parum versati, Cassianum & Gennadium una cum Massiliensibus, ac Lirinensibus monachis de hæresi sugillare haud verentur, cum tales dici non debeant, qui errores suos proterve contra Ecclesiæ, aut Romanæ Sedis definitionem nunquam defenderint; quin potius uti zelatores sanæ doctrinæ, atque puritatis fidei perquisitores summopere honorandi; *errant ergo*, ait Salvianus

Vasq. disp. 91. cap. 8.

sime infamat Libellum. Idcirco per omnes occidentalium partium Ecclesias inter preclaros ac illustrissimos Doctores optinet principatum. Epigrammata (34) quoque sacris ex beati Augustini dictis dulci modulamine condidit atque elegiaco carmine mirabiliter distraxit. Ad Julianum insuper (35) pontificem duos libellos de contemplativa atque activa vita seu & resurectione vel vita Sanctorum falerato ser-

nus *sed bono animo errant, non odio, sed affectu Dei, honorare se Deum atque amare credentes*. Mortuus autem creditur Anno 448. ætatis sue 97. Scriptorum seu Librorum ejus editiones plures fuere, antiquior Anno 1580., posterior, quod sciam, A. 1628. cum commentariis D. Alardi Gazei nostri Ordinis Monachi duobus voluminibus in fol. cui & addidit Apologiam sub titulo *Vindiciæ titulares pro sanctitate Joannis Cassiani*.

(34) *Epigrammata*. Apud Anthelmum differt. IX. de Poetice S. Prosperi hæc leguntur. Epigrammata porro septem & nonaginta composuit Prosper Aquitanus, quorum argumentum ex his, quas ipse selegerat, Augustini sententiis, unicuique præponit, vel ex eo, Prosperi esse judicarentur; sed in tota illorum serie ita gratiæ divinæ dogmatibus aut explicandis, aut defendendis intentus est, adeoque pristinis conceptibus retractandis assuefactus, ut ex omnibus operæ lineis se se proderet inter millenos internoscendum.

(35) *Ad Julianum Pontificem*. Opus de *Vita contemplativa* inscriptum, non Prosperi Aquitani, sed Juliani Pomerii esse fœtum, jam in confesso est apud omnes doctos. Juliano autem cuidam Episcopo directum apparet in MMSS. codicibus vetustis, cujus sedes inter tenebras adhuc. Pontificis autem titulo, Episcopos etiam intelligi, nil dubii. Joannes Antonius Flaminius seculi XVI. Scriptor, Prosperum nostrum pro Aquitano venditare studens, inter fabellas, quas nectit in ejus vita, (ob quas censoria plectitur virga a Cardinali Norisio) id etiam seu ignorantia, seu partis studio abreptus superaddere non est veritus, quod nempe Juliano Pontifici maximo Epistolam dederit Aquitanus Prosper. At enimvero, quis ita hospes in ecclesiasticis annalibus, ut inter Pontifices maximos hujus nominis ullum fuisse sibi patiatur persuaderi? Quæ vero fides talia venditantibus adhibenda?

Digitized by Google

ſermone deſcripſit. Fecit & libellum per exametrum & pentametrum carmen de diverſis cauſis compoſitum cujus principium eſt de vera (36) innocentia quem per capitula ſententiarum perduxit uſque ad octoginta octo. Cujus oris aurei lingua ſi perſpicaciter Lectoris judicio perpenſa fuerit. perpendet auditor quanta gratia Spiritus Sancti in eo manſerit quantaque profunditas ſcripturarum in eo redundaverit quantaque ſecretorum Dei revelatio in eo fulſerit quantuſque Vir fuerit: quamque nobiliſſimus rethor in proſatico vel metrico ſermone Libri (37) teſtamenti ejus deſignant. Cujus etiamſi cuncta inveſtigare conemur opuſcula dies antequam ſermo ceſſabit. ipſe enim non ad cujuſcumque perſone potentiam ſed ad morum elegantiam adtendebat. Tanto etiam unumquemque eminentius honorabat quanto vivere ſanctius didiciſſet. Ne autem oves Chriſti ſub virga tanti Paſtoris conſtitute divini Verbi inedia tabeſcerent, mox ipſe juxta Evangelium Salvatoris igne ſuccenſus cunctos Eccleſie filios veridi-

ca

(36) *De vera innocentia.* Inanis hæc repetitio; Libellum etenim quem vocat per exametrum, & pentametrum carmen exaratum, cujus prioris capitis initium eſt, *Quæ ſit vera innocentia*, idem eſſe ac Epigrammata jam recenſita, numero ſeptem & nonaginta, non vero octuaginta octo ut hic ſupponitur certiſſimum eſt.

(37) *Libri Teſtamenti ejus.* Quos Libros nobis innuat Scriptor hic noſter ſub nomine Librorum Teſtamenti ejus, difficile eſt divinare. Num Proſperi Commentaria in Pſalmos quinquaginta? Num de omnibus ejus Operibus in univerſum ſumptis intelligi vult? An vero ſupremam ejus voluntatem, quam Teſtamenti tabulis, (Scriptori huic, multis ab eo ſeculis diſtanti patefactam,) conſignaverit? Hoc poſtremum plane ridiculum; reliqua prorſus incerta.

Digitized by Google

ca predicatione instruere cepit. quatinus ad verbum Dei in Ecclesia audiendum alacriter occurrerent & quod auribus perciperent ad operis effectum certatim perducerent. Deinde quidem sicut oculatus arbiter erga omnes proprios dirigens obtutus. quibus moribus quave conversatione intra matris Ecclesie sinum quisque conversaretur sagaciter perquirebat caute providens ne ex ovibus sibi creditis lubrici anguis astucia aliqua pateretur dispendia. sicut enim avis quelibet dum proprios fovet pullos contra accipitris vel milui insidias provida invigilat aut secus iste pater sanctus erga cunctorum salutem contra zelum Draconis sollicitus existebat. Sacerdos denique Ecclesie sue juxta Apostolum senes obsecrabat ut Patres juvenes ut fratres anus ut matres juvenculas ut sorores in omni castitate. Viduas similiter obsecrationibus & orationibus nocte ac die Domino servientes. Finitimarum (38) etiam Urbium Presules ne ipsi Luporum raptum incurrerent. sed erga filiorum suorum salutem sollicite excubarent fraterna exortatione premonebat. Ipse autem cotidianis vigiliis orationibus & jejuniis per annos (39) vi-

(38) *Finitimarum Urbium Presules*. Mirum sane, quod inter multa Aquitanici Doctoris monumenta, quibus protegente Deo, maximo Ecclesiæ bono proficimus, ne una quidem somniatarum hujuscemodi exhortationum Epistola nobis supersit. Una si extaret, promptas fortasse daremus manus ad Aquitani Episcopatum asserendum.

(39) *Per annos viginti & duos*. Longissimo igitur duorum, & viginti annorum spatio Regiensem Ecclesiam per D. Prosperum Antistitem nostrum gubernatam, ex isto Scriptore non solum, sed etiam ex antiqua traditione edocemur. Stet itaque qualiscumque

fit

ſit hæc traditio. At, unde quæſo, auſpicanda longiſſimi hujuſce regiminis epocha, ut Proſperum *Aquitanum* Regienſibus inſulis per annos viginti duos ornatum credamus? Quamvis etenim natalis ejus, ſimulque emortualis dies, & annus adhuc nobis ignotus remaneat, attamen ſi ad exactiſſimam chronologicæ indaginis lancem cuncta perpendantur, profecto, labente ſeculo quarto natum, diemque ſupremum poſt quinti medietatem eum obiiſſe confiteamur oportet. Trigeſimo vero poſt quadringenteſimum anno, non puerum, aut Tyronem, ſed veluti verſatiſſimum, conſumatumque Theologum, literarum ſtadia, non brevi, ſed longo itinere emenſum ſe prodit; in campum etenim proſilientem contra magiſtri ſui Auguſtini impugnatores doctiſſimis elucubrationibus totus Orbis aſpexit. Porro, ultra annum quinquageſimum ſeptimum a quadringenteſimo lucem hanc aſpexiſſe nemo concefferit, qui ſerio Victoris conterranei ſui, ac ſynchroni verba perpendat, per quæ, anno 457. (quo Victor hæc ſcribebat) vitales auras non amplius ſpiraſſe Proſperum Aquitanum non obſcure innuere videtur. In præfatione etenim cycli paſchalis, quem ad Hilarum Rom. Eccleſiæ tunc diaconum (poſtea Pontificem) miſit, ipſoque etiam ſuadente, ac impellente compoſuit, ſe in ſcribendo eo Cyclo ab Euſebii Cæſarienſis, Hieronymi Presbyteri, ac Proſperi Chronicis illuminatum, ac manuductum fatetur; de quo Proſperi Chronico verba faciens, continuatum ait ad annum uſque Conſulatus Anthemii, & Valentiniani VIII. ac Urbis Romæ direptionem, ſcilicet 455. Ut quid vero tam minutæ narrationis neceſſitas? Ut quid Proſperiani Chronici terminum indicare, ſi adhuc viventem Chroniſtam ſapientiſſimum noverat? Atramentum aut materiem ſolertiſſimo Scriptori defuiſſe-ne credidit ad id, quod tam exacte in commentarios regerere cœperat, perſequendum? Ut quid inquam Victori & ipſi Layco Provinciam hanc demandari ſupervivente adhuc Proſpero, qui prior illuſtrandam ſuſceperat? nonne & ipſi bene ceſſit, ſicut & Euſebio, Theophilo, ac Hieronymo? An fortaſſe ad difficultatum repagula removenda ineptus credebatur? at, Proſperi veſtigia, tanquam a Præceptore indicata ſequi ſe profitetur Victor; cur ergo tantum magiſtrum, ſi adhuc viventem noverat, in hac Provincia ſibi ſocium non cooptavit, aut ſaltem conſuluit? Amicus & conterraneus inofficioſe profecto erga eum ſe geſſiſſet, ſi adhuc viventem crediđiſſet. Quæ cum ita ſint, nec 22. annorum ſpatium in Aquitani Præſulatu ſuſtineri poteſt, nec a Divo Leone Pontifice miſſum, ſacratumque Regienſem Epiſcopum nobis perſuaderi. Et quidem Leo non niſi anno 440. Pontifex

Digitized by Google

viginti & duos bellatricem corporis sui macerans carnem dignanter & sine querela Regiensis Ecclesie statum gubernans tam Deo quam hominibus inreprehensibiliter complacebat. Cum vero Deus tanto labori ejusque magno certamini perhennem gloriam tribuere decrevisset appropinquante ejus vite termino molestiaque corporis superveniente convocatis omnibus Sacerdotibus ac Levitis vel reliquo populo quos excelsi nominis superne gratia vocationis Sancto-

sex electus est; & aliunde, ex Concilii Mediolanensis actis edocemur, Faventium Regii sedem tenuisse anno 455. quem immediate excepit Elpidus, ut ex Catalogo Cathedralis apud Ughellium; Quinimo, si exactiora consectemur, tribus etiam intermediis Episcopis, Prosperum nostrum Faventio antecessorem colligimus, ut observare est ex aliis duobus Catalogis, quos dedimus in calce secundæ partis Commentariorum Monasterii Divi Prosperi pag. 295. Quare nonnisi extremis Leonis vitæ diebus, electionis ejus epocham affigere oporteret; Leo autem cum fato cesserit an. 461., ad annum usque 483. Aquitani dies in Episcopatu protrahendi forent, adeo ut senex prope centenarius decesserit; quæ ætas absque synchrono teste non facile est admittenda. Sed quid plura? Inter tot opera ab Aquitano Prospero elucubrata, quæque ad nos, protegente Deo, pervenerunt, nullum verbum, quod episcopalem innuat dignitatem inveniri poterit? Ubi Homiliæ ab Episcopis eruditione præclaris fieri consuetæ? Ubi sermones? Ubi jactatæ Epistolæ? Ubi denique (quod maxime mirandum) ejus nomen in Conciliis seu generalibus, seu provincialibus, quæ tam longa annorum serie, si non bis, aut semel in anno, prout juxta sacrorum Canonum Decreta moris erat, plura certe celebrata fuisse credibile est? Nullas ergo Homilias, sermones nullos, epistolas, hortationesque nullas, longissima annorum serie, qua præfuisse hariolantur, scripsisse credendus erit doctissimus æque, ac zelantissimus Doctor? At, audio, deperiere. Deperiere? Tot tantaque non sunt Deo auspice deperdita, quæ ab illo sunt scripta, & hæc sola, quæ ejus Episcopatui stabiliendo conferre maxime possent, deperiisse credendum? *Credat Judæus Apella.* *Hor. sat. v.*

Digitized by Google

ctorum Apostolorum benedicens omnibus qui aderant flentibus atque psallentibus inter divina (40) colloquia spiritum Celo reddidit angelicis deportatum obsequiis.

Iste ille Vir fuit qui meritis non impar propheticis extitit. continuis virtutibus claruit martyrum carne maceratione in societate floruit. confessorum stola nominatissimus splenduit. Iste inquam verus fuit Israelita absque amaritudinis dolo absque invidie veneno absque ullius superbie nevo. Ad cujus beatissima funera sepulcri Christi vigilat gratia dum di-

(40) *Inter divina colloquia*. Guidus Pancirolus Lib. 2. Hist. Regien. MS. apud me hunc habuisse sermonem Prosperum nostrum scribit; ,, Video dilectissimi, quantus pectora vestra mœror occupaverit, quia meæ vitæ finem cernitis adventare; nec miror; scio enim quam molestum sit amantibus disjungi, cum præsertim sic ab aspectibus invicem separemur, ut visuri eos amplius non simus, quorum præsentia maxime delectamur. Vehemens istud desiderium vera charitas gignit, sed moderate illud ferendum, ubi credunt, qui remanent multo utilius esse discedentibus proficisci, quam hic diutius esse. Sic mihi quidem contingit, qui cum Apostolo, *cupio dissolvi & esse cum Christo*: ea est meta, ad quam jam diu propero, & ad quam semper omnia mea contuli vota. Quare sic a Vobis discessurus sum, ut multo magis imposterum sim vobiscum futurus. Neque velim discessum hunc a vobis meum arbitremini, sed ad longe meliorem statum accessum, ubi multo utilior vobis sim futurus, si in dilectione ad quam Vos semper hortatus sum permanseritis, si mutuæ charitatis, & mandatorum Dei memores eritis. Si enim putatis, me potuisse vobis huc usque prodesse, qualem me futurum erga Vos deinceps credere debetis, ubi inexhaustum bonorum omnium thesaurum attigero? Igitur, abstergite jam lacrymas, & finem flendi facite; & gaudendum magis hac in re vobis, quam dolendum existimate.,, Hæc Pancirolus; quæ quidem piæ potius meditationis esse foetum, quam a Divo nostro prolata, mihi fortasse consentiet eruditus Lector.

diverſa infirmantium genera ejus expetunt merita & reformati ſanitate remeant proſpero ſucceſſu ad propria . Denique ſeva Demonum perit ibi rapina pervicax monſtrum pavet & refugit figmentum diabolicum obſeſſa corpora hejulans laxat . febris livida oſſa vexata relinquit . umbra diurna cecis extincta in ſol evertitur . Nervorum contracta genua tramite recto ſolvuntur omniſque infirmitatum catena frangitur . ſpeque felici deſolati invidia iterum reformantur gratia . Sepultus itaque eſt cum omni reverentia multiſque aromatibus juxta competentem tanti Pontificis honorem ſeptimo Kal. Julias in Baſilica (41) videlicet non longe ab ipſa Civitate conſtructa quam ipſe olim in onore Sancti Apolinaris (42) Chriſti confeſſoris & martyris Deo ſacraverat .


(41) *In Baſilica* . Baſilicarum nomine *Palatia* ad jus dicendum, ſeu ad publica peragenda negotia , vel etiam Regum , Procerumque habitacula antiquitus audire , nullum eſſe puto in veterum hiſtoriis ſic advenam, qui ignoret. Ex græco etenim βασιλικὴ quod latinis *Regia* vocem hanc derivari edocemur . Porro ad Templa ſoli Deo ſacrata id nomen deductum eſt , quod imbi , tamquam in Regis Regum habitaculo Deus colatur , ipſique ſoli ſacrificia offerantur . Hinc quamlibet Eccleſiam , ſeu etiam Capellam Baſilicæ nomine nuncupari ſæpius videmus ; majores etenim , ſeu grandiores a minoribus diſtinguebantur per additionem *majoris* , ſeu amplioris , ut Vaticana *major* , vel *ampliſſima Baſilica* ab Auguſtino apellatur . Sed & ipſa Monachorum Cœnobia ejuſmodi vocabulum aliquando ſortita fuiſſe non ignoramus , ſicuti obſervavit doctiſſimus noſter Mabillonius in not. ad Act. S.S. Ordin. S. Bened. To. IV. pag. m. 223. editionis Venetæ & 232. , ac in Præf. ſeculi ſecundi §. 2. Cum vero hic dicatur , Divi Proſperi noſtri Epiſcopi Corpus ſepultutæ datum VII. Kal. Julii , diem ſepulturæ cum emortuali confundi ſuſpicor .

(42) *Sancti Apolinaris* . Sanctus hic martyr, ac Epiſcopus Raven-

vennas, primus creditur, qui per Æmiliæ Provinciam Christi Jesu Evangelium prædicaverit. Quare nihil mirum, si ab istius Provinciæ Præsulibus Basilicæ passim, seu Ecclesiæ Deo in ejus honorem erigerentur. Ex quo inferri licet, quid eruditissimo Venciensi Episcopo Antonio Godeau sit reponendum, qui, ut Prosperum Aquitanum Regii in Gallia evincat Episcopum, ibi, dicit, Templi vestigia extare, quod a B. Prospero Divo Apollinari fuerit dedicatum; Vix enim credibile est, B. Apollinaris memoriam tunc temporis tantum inibi veneratos fuisse fideles, quantum in Æmilia venerabantur.



ADMONITIO
AD CAPUT SECUNDUM.




Sanctorum Acta, simulque miracula, quibus identidem Deus Opt. Maximus, iisdem Sanctis ut plurimum intercedentibus, maximam omnipotentiæ suæ vim nobis manifestat, legi a fidelibus, vel narrata auscultari, utilissimum esse eo libentius profiteor, quo mihi persuadeo, multum inde (si sincera sint) augeri posse pietatem, & fidem foveri. At cum commentitia sæpe sint, quæ antiquitus de his rebus scripsere boni homines, futilibusque referta narratiunculis, hinc tantum abest, ut ad Religionis decus, incrementumque conferre possint, quin potius ipsam infidelium, atque hæreticorum ludibrio prorsus objiciant. Nihil certe novi affero, quod in me reprehendant, qui falsæ pietatis umbras consectantur. Quis enim nesciat; Hæreticos homines, nihil in Nos frequentius, quam superstitionis crimen movere? Irrito tamen conatu; puritati namque catholicæ religionis nil obest, si ex fonte piæ credulitatis, rudioribus præsertim seculis falsa veris immixta fuerint, atque innumera propemodum enata sint miraculorum commenta, quæ ad romanas fabellas esse amandanda invictissimis argumentis & nos fatemur; nec tantum fatemur, sed & in dies criticæ artis ope, si qua sunt alia, pro fidei puritate servanda, detegere conamur. Hac sane in re non modo ea ætate peccatum est, qua de sanctitate actum esse per sum-

Digitized by Google

mum errorem putabatur, si Sanctorum gesta vel parumper ad examen revocarentur; sed antiquioribus etiam seculis; scribit enim S. Gregorius Nyssenus, se a commemorandis sanctissimæ sororis suæ miraculis idcirco abstinuisse, quod periculum esset, ne & ipsa cum fictitiis quæ circumferebantur permixta, excogitata esse crederentur. Quod quidem, & hac nostra ipsa ætate fieri interdum dolemus, qua nec impostores desunt, qui vel argento comparando, vel sectæ juvandæ fallacias fingunt; nec tardi ingenii homines, qui ubi aliquid viderint, insuetum quidem, sed ex naturalibus principiis omnino profectum, caussarum cum effectibus connexionem attingentes, præter naturalem ordinem contigisse, & per miraculum arbitrentur ipsi, & aliis persuadere conantur. Hæc in caussa fuere potissima, cur SS. Ecclesiæ Pontifices nonnullis ab hinc seculis alias quo ad hoc disciplinæ caput, leges sapientissime ferrent, atque sacrum instituerent Magistratum, quem Sacrorum Rituum Congregationem *appellamus. Huic, electissimos purpurati Senatus viros præfecerunt, hodieque præficiunt, qui, adhibito etiam illustriorum Urbis Theologorum consilio, piorum hominum, qui dum viverent, in fama sanctitatis fuere, res præclare gestas, & pervagata etiam miracula diligentissimo subjiciunt examini, exacte cribrant, atque æquissima lance ita perpendunt, ut nullus in apotheosi decernenda irrepat error, nullaque in definiendis miraculis fraus. Quod sane consilium, si præ oculis semper haberent sacri Oratores universi, miracula melius nonnulli secernerent; nec ita passim mulierculis, ultra modum credulis, ea quæ non sunt plane certa, vel saltem probata, narrarent. Quod sane dolenter com-*

me-

memoro; nam nihil absurdius, quam veritatis praecones, vel ob defectum eloquentiae, vel quod Sanctos, qui eos aliqua ratione contingunt, supra alios velint efferri, vel studio partium (utinam non spe utilitatis & lucri!) mendacia pro sugestu venditare. Sed quorsum haec omnia? Ut nimirum constet, plurima in miraculorum commentaria; quae antiquitus scripta sunt, irrepsisse mendacia, ac propterea non esse ipsis sine delectu fidendum. Deinde vero ut Lectorem admonerem, me non idcirco vulgare D. Prosperi nostri miracula, quod ea certissima esse, ac sincera fide conscripta putarem; sed quod secundam Ms. nostri partem conficiant, quam allaturum promiseram pr. parte Commentar. Mon. D. Prosperi: Promiseram autem, quia sciebam, istiusmodi miracula typis jam fuisse promulgata, & quidem vernacula lingua, atque vulgo prae manibus esse. Munusculum ergo tibi Lector sapientissime offero, & tuum de Scriptoris sinceritate, ac miraculorum veritate judicium, quod maximi facio, pro compensatione deposco.



Ex

Digitized by Google

Ex eodem Codice MS.
pag. xxxxiiii.

INCIPIUNT MIRACULA SANCTI PROSPERI

CAPUT SECUNDUM.

I. CUm ad augmentum Ecclesiarum unanimis effecti aliqua perscrutari nitimur cooperatorem Dominum sine quo nihil possumus nobiscum cooperari non diffidimus. Cujus doctrina instructi & scientia protinus repleti mente hactenus diverse ducta ad contemplationem divinitatis erigimur & tunc quæque obscura penetrando rimamus. Hac quidem fiducia Sigefredus (1) Regiensis Episco-

(1) *Sigefredus Regiensis Episcopus*. Duos hujus nominis Regii nostri Episcopos invenire est in Episcoporum Regiensium serie seu Catalogis. Primus scilicet, qui sedem tenuit juxta Ughellianum Catalogum inter Robertum, & Pellegrinum, ordine trigesimus; Inter Norpertum vero, & Amon, juxta duos alios Catalogos, ordine vigesimus octavus, anno ibi signato 848. Secundus autem, ex Ughellio inter Theuzonem, & Condelaudum ordine quadragesimus sextus, quadragesimus vero primus, ex duobus aliis supra recensitis catalogis, anno scilicet 1048. ut in fine secundæ partis Commentarior. Monasterii D. Prosperi videre est. De juniore autem hoc Sigifredo, non de seniore hic haberi sermonem non sine ratione puto; primo ex manuscripti ipsius charactere, quod secu-

piscopus clericorum (2) conventus interdum fieri precipiens illustrium Virorum exempla ne inedia divini verbi fatiscerent sed erga subditos vigilantius excubarent sedulo ministrabat. Sed inter cetera sanctissimi Patris nostri Prosperi virtutes (3) que tunc meritis ejus fiebant recolens & recolendo frequenter admirans suam ceterorumque vitam caritate frigescente pro nihilo computabat. & cum non ita inquiens vivimus ut exemplo esse possimus aliis cur facta illius qui per omnia imitandus est posteris propalare negligimus? Nisi enim inestimabilem & preclaram vitam egisset nequaquam tanta signorum gloria preditus haberetur. Me (4) denique inter preclara colloquia quadam die intuens & familiariter accersitum ea suadentibus Fratribus (5) describere

seculum undecimum potius, quam nonum præ se ferre videtur; secundo, ex eo quod, cum ex pluribus indiciis Scriptor hic monachum manifeste se prodat, non cum seniore, sed cum juniore Sigifredo potuit habere colloquium, quod habuisse fatetur pro Actis istis registrandis; anno etenim 848., vel circa id temporis, quo senior Sigifredus vivebat, Monasterium D. Prosperi extructum nondum fuerat, ut probavimus in prima parte eorundem Commentariorum.

(2) *Clericorum conventus*. Sanctorum Episcoporum mos erat antiquitus, clericorum congregationes, seu conventus tenere sæpius, ut illos in ecclesiasticæ disciplinæ forma solicite continerent, ac verbi divini pabulo sæpius recrearent.

(3) *Virtutes*. Miracula scilicet, D. Prosperi meritis a Deo impetrata, ad populorum, & præcipue crediti sibi gregis medelam, ac animarum salutem.

(4) *Me denique*. De semetipso loquitur Scriptor.

(5) *Suadentibus Fratribus*. Fratrum titulo, tam Monachi, quam Clerici appellari consueverunt, ut sæpe videre est in Scriptoribus antiquis.

Digitized by Google

bere hortabatur. Tum mihi id obstinacius renitenti meam imperitiam reputans ne materia tam felicis histoɹie merito disertis Scriptoribus reservandam arriperem. Illud tamen occurrit Aperi os tuum & ego adimplebo illud quod vero petebat ne tanti Viri laterent virtutes accepta jussione Pontificis recta imperantis negare non potui. sed ne sermo prolixus & incultus legentibus displiceret pauca de plurimis explicare conatus sum.

II. Postquam beatissimus Prosper occidentalium Ecclesiarum dissertissimus illustrator Regiensis antisticii dignitate adepta sublimavit Ecclesiam mentes Fidelium ut prius scientia ita postmodum illustravit faciendo signa & prodigia & quos divinis instruendo preceptis non deseruit dum vixit in corpore eos plenus virtutibus nihilominus sollicitat deposito carnis onere. Sed quanta & qualia ejus interventu antiquitus claruerunt non est nostre facultatis exprimere. imo ad ea que nostris temporibus gesta sunt ad laudem Domini nostri Jesu Christi ipsius suffragantibus meritis prout possumus succincte pergamus. & licet illa nec sermonum facundia nec etiam perfecta cognitio penitus valeat intimare quedam tamen que manifeste comperta & satis (6) probata occurrunt digna memoratu in presenti libeat annotare. De conversatione vero & transitu ejus exponi necesse non est. libellus vite ejus (7) in-

(6) *Satis probata*. Probata satis, & indubia tunc credebantur miracula, quæ in ore omnium, & maxime ecclesiasticorum erant, quæve ab aliquibus scriptis consignata erant.

(7) *Libellus vite ejus*. Quisnam fuerit iste Libellus vitæ ejus inscri-

inscriptus non indicat. ea libri testamenti ejus designant.

III.

Inscriptus, aut Libri Testamenti ejus; incognitum est. V. notata Cap. 1. n. 37. Ne tamen in hac re quicquam subdole dissimulare arguamur, afferre hic non pigeat Vitam, titulo Prosperi Aquitani inscriptam, quam ex Cod. MS. Bibliothecæ vallicellianæ extraxit, ac publici juris fecit eruditus Pater D. Salinas Canonicus regularis Ordinis Lateranensis; „ Iste Sanctus Prosper Episcopus, „ cujus hodie festum celebramus, Aquitanicus fuit, vir eruditus, „ & in omnium artium dogmate peritus. sententias Sancti Augu- „ stini prosis, & versibus, ut in libro suo apparet, composuit. „ In Civitate Chalcedonia hæreses prædicando destruxit, Eutychia- „ nam scilicet, & Nestorianam. SS. Leo Papa per visum cælitus „ admonitus, eidem B. Prospero futura episcopalis dignitatis in „ Civitate Æmiliensi, ore prophetico, deprompsit præsagia. Post „ hec vero Deus tantam Beato Prospero Regiensis Urbis Episcopo „ gratiam prædicationis contulit, ut nullus foret, qui ex charita- „ tis affectu eum non diligeret. Ipse autem quotidianis vigiliis, „ & orationibus simul, & jejuniis per annos viginti, & duos bel- „ latricem corporis sui macerans carnem, dignanter, & sine que- „ rela Regiensis Ecclesiæ statum gubernans, tam Deo, quam ho- „ minibus irreprehensibiliter complacebat. Post multas vero vir- „ tutes, quas per ipsum Dominus fecerat VII. Kal. Decemb. ani- „ mam Deo reddidit. Sepultus vero est in Basilica non longe a „ Civitate, quam ipse olim in honorem Sancti Appollinaris mar- „ tyris Deo dicaverat. Quo loco fructificant orationes ejus usque „ in hodiernum diem, ad laudem D. N. J. C. qui vivit, & re- „ gnat in secula seculorum Amen. „ Quæ vero, & quanta, critico calamo castiganda hic essent, satis indicant quæ in ejus vita huc usque adnotavimus. Id tantum superaddere sufficiat, unum ex alio fabellam transcripsisse; ejusdem namque ætatis indicia preferunt. Illud solummodo hic observandum, transitus ejus diem ad VII. Kal. Decemb. signari, de quo consule notata inferius n. (29). Sed neque eamet ætate hujuscemodi erroris opinionem de episcopatu Prosperi Aquitani, communem fuisse arbitreris; aliquibus etenim etiamtum haud fuisse ad palatum pro certo novimus, uti videre est in nonnullis MSS. Codicibus antiquis; ex quibus unum hic indigitare placet ex Basilicæ Vaticanæ Bibliotheca Cod. n. 196. in cujus fronte legitur. *Objectiones contra dicta S. Augustini post mortem suam, & Responsiones Prosperi Episcopi, ut ajunt.*

Digitized by Google

III. Igitur idem venerabilis Pater ut hoc primum aggrediar multis in ejuſdem Eccleſia converſantibus & Deo debitas laudes perſolventibus ſepius apparuiſſe teſtatur quod evidenti indicio manifeſtiſſime declaratur. Ex quibus ut ad alia properando plures ommittimus duos ad excitanda corda fidelium in medio ponimus. Andream ſcilicet & Gandulfum. Andreas enim monachus & ejuſdem venerabilis loci cuſtos atque ſacerdos dum ad ipſius excubias quadam nocte pernoctaret & crebris orationibus atque vigiliis perſiſteret. matutinali peracto officio ceteris fratribus recedentibus ipſe ut ſolitus erat remanſit. Illuceſcente non multo poſt diluculo dum ſe orationi dediſſet illum juxta Altaris crepidinem ſacerdotalibus veſtimentis indutum vidit aſſiſtere quem quis eſſet qui tam maturius ad miſſam celebrandam veniſſet infra ſe cepit evolvere. cujus ut faciem vidit nimio terrore arreptus ommutuit. Quem Vir Dei protinus ſuis ammonitionibus ne timeret exortans & ſic tandem depoſita formidine qualiter Epiſcopus qui tunc illi Urbi (8) preerat erga commiſſum populum & populus erga Dei noticiam haberetur diligenter inquirens Proſperum ſe ejuſdem loci cuſtodem atque inſpectorem cui ipſe ſedulo obſequium exhibebat profeſſus eſt dicens: reſume conſtantiam Fili & tuorum laborum mercedem cumulatis muneribus ſecurus expecta & quod cepiſti agere ne deſiſtas. quia die quinta decima ad eum quem totis viſceribus dilexiſti relicto carnis

H 2 pon-

(8) *Illi Urbi praerat.* Fortaſſe *Tauzo*, aut ejus immediatus ſucceſſor.

pondere properabis. Et his dictis ab oculis ejus ablatus est. Ille vero tanti patris ammonitione sollicitatus sua (9) dispofuit & constituto termino hora diei (10) tertia sicut ipse predixerat Paradisi aditum penetravit.

IV. Predictum vero Gandulfum presbiterum (11) hujus

(9) *Sua dispofuit*. Quamvis de felici ejus transitu ab hac vita, nempe de iis quæ ad conscientiam a nævis omnibus emundandam, animamque e corpore quamprimum egressuram meditationibus, sacramentisque muniendam spectant, hic sermonem esse nulli dubitemus; attamen si de rebus etiam caducis, quæ sub illius fortasse arbitrio inveniebantur, dispofuisse hunc Monachum opinaremur, nil certe inauditum Lectori nostro venditaremus; cum ea ætate, Mabillonio teste de Re dipl. l. 1. cap. 2. n. 10., pravus jam mos inolevisset, apud Monachos etiam, cæterosque paupertati religiosæ obstrictos Testamenta condendi; qua de re consule etiam Mabill. ipsum Tom. V. Act. SS. Ord. S. Ben. sec. 9. pag. m. 602., & Reverendissimum nostrum Astezatum in notis ad Evangelistam Manhelm. pag. LV.

(10) *Hora diei tertia*. Juxta morem antiquum, Nox sicut & Dies duodecim horis constabat, longioribus nocturnis in hyeme, diurnis brevioribus, sicut e contra, in æstate. Numerare autem solebant diei horas ab ortu solis ad occasum, & horas noctis ab occasu ad ortum; ex quo fiebat, quod cum extra æquinoctia sint per sex menses continuos dies breviores, & per totidem alios longiores pro climatum diversitate, sicut etiam & noctes, horæ pariter juxta dierum, & noctium inæqualitatem modo breviores, modo longiores evaderent. Hora igitur diei tertia, si de solstitiis æstivi temporis loquamur, cum apud nos sol oriatur hora VIII. min. VI. horologii, proptereaque ad occasum usque sint horæ XV. m. XXIV., scilicet minuta 924.; quælibet hora minutis 77. constabit, sicque hora tertia diei incidet in horam horologii XI. m. 57. Si vero a solstitii hyemalis tempore numeremus, cum tunc sol oriatur hor. XIV. m. 55., ab ortu ad occasum erunt horæ VIII. m. 37. scilicet minuta 517. quæ conficiunt horas minutorum 43. quare hora tertia diei incidet in hor. 18 m. 10. horologii, sicque de cæteris.

(11) Presbiterum. Clericorum titulus, aut Presbyterorum antiqui-

Digitized by Google

hujus institutionibus eruditum virum satis nostro tempore idoneum ut Helias Heliseum insignem in multis reliquit. Magistri namque instructus disciplinis cepit egenis & ospitibus obtemperare ac in aliis preclaram vitam ducere. laudibus quoque Dei ad mores ipsius insistere. Ars enim nulla preter scriptorum & discipulorum divinis (12) lectionibus insistentium illum aliquo modo monstrabat sollicitum. Ex quorum numero tunc unus (**) eram quem ipse familiariter pre ceteris diligebat. Die noctuque vigiliis & orationibus permanens ab eadem. Ecclesia nisi necessitate corporis aut discipulorum studio ut diximus cogente non recedebat. Appropinquante tandem fine vite ejus dum quadam nocte sancti Patris matutinos solito more solus decantabat hymnos benedictionem petens (13) eam ab ipso clara voce audire promeruit. Tunc pavore nimio arreptus mox ipsam circumiens Ecclesiam ob-

tiquitus monachis etiam tribuebatur, ut ex Act. SS. Or. S. Ben. & ex Mabillonii notis ad ipsa acta To. II. pag. m. 381. To. IV. pag. 223. in Præf. sec. II. §. 2. & To. V. pag. 560. 582. 595., & præcipue pag. 690. ubi hæc habet; *mos antiquus fuit Monachos quosque qui sacris initiati erant, suscepti ordines vocabulo insigniri, abjecta plerumque, rarius adjecta, monachi appellatione*, sicuti & nuper mihi observare contigit in quadam charta donationis Ildeprandi Episc. Mutin. Stephano presbytero, quem alibi monachum dicit. Caps. sign. A 2. I. F.

(12) *Divinis lectionibus*. Benedictinos antiquitus etiam in Scripturæ sacræ, & SS. Patrum lectione versatos, ex regulæ textu probavit Mabillonius in Tract. *de Studiis Monast.*

(**) *Unus eram*. Totam hanc narrationem, sicuti & antecedentem, veram atque sinceram esse non dubitaverim, cum se testem de visu Scriptor noster hic se prodat.

(13) *Benedictionem petens*. Illam videlicet, quæ cuilibet lectioni in matutinali Officio præmittitur.

Digitized by Google

observatis foribus neminem invenit. Pulsato etenim signo convenientibus Fratribus hoc indicavit miraculum quod in modico rei probavit eventus. Facto namque mane dum incolumis Missam celebraret idem Sanctissimus Prosper canitie venerandus ter sibi manifesto in lumine sub specie vocantis apparuit. Ipse vero nobis quod sibi acciderat indicavit. Hoc quidem eo narrante multis astantibus nullum ipsa die preter dominicum corpus capiens cibum ingravescente corporis molestia lapsus (14) est. & convocatis sacerdotibus eisque divina mysteria sibi celebrantibus gaudens & exultans in pace Dei ut credimus largiente gratia receptus est.

V. His ut diximus & alii quampluribus corruscantibus signis multitudinis frequentia cepit ad eundem Sanctum Dei Pontificem summe venerationis gratia concurrere & tanti Patroni auxilium ob redintegrandam anime & corporis salutem devote exposcere. Inter quos quedam vidua paralitici Filii dolore nimis affecta dum eum ad ipsius deferret limina chananee mulieris flagrans fide priusquam Basilice adiret introitum divinum ei sensit adesse auxilium.

VI. Interea beatissimi ejusdem Prosperi fama longe lateque diffundebatur que cecorum claudorum aridorum diversasque infirmitates habentium ad ejus Basilicam non modicam invitabant occurrere turbam, quam tante ejus curationis virtus invasit ut non minima multitudo lætaretur se tanti patrocinio Patris ab infirmitate solutam. Et ut parva de multis bre-

(14) *Lapsus est*. Idest, ad extremum vitæ perductus; vel, deliquium ob inediam passus.

Digitized by Google

brevi sermone concludam novem viri diversis infirmitatibus detenti nobis cernentibus uno eodem que die sunt liberati. Unde nec immerito die ipsa (15) tota Civitas coronatur leticia. Fit gaudium & exultatio populis habitantibus in ea. parentes vero illorum nihilominus lætati sunt dum filios quosque propriis humeris detulerunt absque ulla corporis lesione redeuntes cernere meruerunt, & hec VIII. Kalendarum Junii gesta sunt.

VII. Sequenti itidem tempore quedam ejusdem Civitatis mulier manum habens aridam visis tot miraculis que per Beatum Virum fiebant ad venerabilem locum quadam die ut sanitatem reciperet mutata (16) veste processit ibique duos dies totidemque noctes orando & jejunando continuans & se indignam tanto beneficio obsistentibus culpis proclamans redeunte vigore manus aride pristino cepit uti solatio. Eodem vero tempore concursus populorum ad famam tanti Viri undique confluentium factus est maximus. Ex quibus multa nobis innotuerunt que jam ingruente oblivione fatiscunt.

VIII. Sed pretermissis multimode curationis virtutibus illud summopere memorandum est. Quidam Beneventanus membrorum carens officio ad sanctum Martinum (17) Turronicam vehiculo impositus properans

(15) *Die ipsa*. Idest XXVI. Maii, ut infra innuitur.

(16) *Mutata veste*. Fortasse, ut incognita progred retur; vel potius, dimisso muliebri ornatu, pœnitentis habitum induta.

(17) *Ad Sanctum Martinum Turronicam*. Quot quantaque mirabilia operatus sit Deus ad D. Martini Turonensis Episcopi sepulchrum, ex ipsius Beati Martini Vita, primum a Divo Sulpicio Severo, deinde a S. Paulino (fortasse Nolano) vel Perpetuo Turo-

rans Regium fama sancti Viri impulsus divertit. Confidens ergo suffragio beatissimi Prosperi medicinam sibi celerem affuturam ad ipsius Templum continuo ut portaretur oravit. Hec audientes qui eum submissis cervicibus trahebant cupientes se tanto pondere relevari ad sanctum locum nulla interveniente mora detulerunt. Interim vero ut beati Antistitis obortis lacrimis cepit postulare subsidium felici se obstinatione perurgens & ululatus dire vocis pre dolore carnis quasi mente captus diffundens postremo divina expertus est beneficia pristine sanitatis consequendo remedia. Octavo decimo enim die curationis sue Christo auxiliante pedibus suis ceptum iter arripuit. quo peracto ad propria remeavit. Cujus ante fores ejusdem Ecclesie multo tempore dependens vehiculum hujus rei cunctis illuc properantibus patefecit indicium.

IX. Nunc vero aliam non dissimilem in simili curatione virtutem magnificentie ejus efferre conamur que magis ut reor admiranda censetur. Quidam sane Francigena admodum contractus membra eodem tempore ad limina Apostolorum Romam dum ten-

Turonensi Episcopo, ac Venantio Fortunato, cæterisque conscripta, satis constat. Turonensis autem Civitas, Gallice *Tours* in Gallia celtica, seu Lugdunensi apud Ligerim fluvium sita est; eapropter, apud Gallos præ cæteris in summa veneratione semper fuit Beati Martini memoria, adeo ut & annos antiquitus ab ipsius obitu numerarent, seu temporum epocham auspicarentur. Obiisse autem creditur S. Martinus Anno 402, cujus ad Superos transitum III. id. Novemb. veneratur Ecclesia, de quo & Baron. ad A. 402. n. XIV. Apud ejus Ecclesiam vero extitisse Monasterium, & Monachos nostri Ordinis, certum est, ut ex Privilegio Eugenii III. A. 1145., sed & multo ante ab illis inhabitatum observat Mabillon. ad Act. SS. Ord. Nostri To. III. pag. m. 539.

Digitized by Google

tenderet comite quodam suo servulo velut fascicu-lus impositus est Asino cui dum potuit curam ut fidelis dispensator exhibuit. Sed postquam diversa peragrans loca nimio tedio affectus tandem quasi semivivus una cum illo Regium est profectus. Interea intelligens se (18) viribus corporis tanto pondere pregravante destitui arrepto itinere quod cum eo ceperat flens & estuans nimio illum cum merore dimisit. Alumpni ergo destitutus solatio a prefato Sigefredo Episcopo continuo receptus est Scenodochio (19) In atrio vero Ecclesie sancte Dei Genitricis (20) Marie ferme per trium annorum curricula fetidus & quasi mortuus recubans cunctis pene inde transeuntibus jam ceperat esse despectus pedes enim ejus & genua pectori adherebant cujus autem jam grave incomodum & veluti inremediabiles cruciatus magis ac magis perpessus noctem etiam insomnem clamando deduceret quendam clericum stola candida indutum bis & tertio intempesta noctis hora sibi apparuisse postea testatus est cujus admonitu ad sancti Prosperi limina multis submittentibus colla usque deducitur & in atrio Ecclesie collocatur. Post triduum vero ipso postulante in eandem Basilicam dominici diei a circumstantibus bajulatur. Evangelium ibidem ut mos est (21) monachorum cum ad Matutinum no-

cte

(18) *Intelligens se.* Famulus nempe istius Francigenæ.

(19) *Scenodochio.* Proprie *Xenodochium*, Peregrinorum Hospitium ex græco ξένος idest *hospes* & δοχεῖον *receptaculum*.

(20) *Sancte Dei Genitricis.* I. Ecclesiæ Cathedralis Deo in honorem B. Mariæ dicatæ

(21) *Ut mos est Monachorum.* Quod extra Urbem in Ecclesia Monachorum, & non alibi Sigifredi II. Episcopi tempore

 San-

ctæ ipsa legeretur cepit pallescere sudare & quasi in extremo positus torvis palpitare luminibus. Tum cum ingenti strepitu in pavimento Ecclesie ter volutatus cunctis astantibus per dimidiam fere horam moribundus apparuit. Deinde membris propriis restitutis compagibus inopinate sospitatis suscipiens gaudium gratias egit tam grave evasisse periculum. Qui non longo post tempore gloriam & nomen ipsius ubique divulgando nativitatis sue patriam regressus est. Sed ob amorem ejusdem Sancti postmodum rediens nobiscum multo tempore conversatus est.

X. Dum crebra ac varia curationis signa beati Prosperi meritis per idem tempus fierent accidit ut adole-

Sancti Prosperi nostri Corpus jaceret, illudque inibi venerarentur fideles, nullus hic ambigendi locus; etenim Evangelium legendi in matutinorum officiis juxta D. Benedicti Regulam cap. XI. apud Monachos tantum mos semper obtinuit, sicut & modo. Postquam enim præscripsit S. Legislator noster *Incipiat Abbas hymnum Te Deum laudamus*, quem semper in vigiliis Sanctorum, Dominicisque diebus, (quadragesimali tempore haud excepto) cantari jubet, subdit, *leget Abbas lectionem de Evangelio*. Quare autem omni tempore ad Matutinorum vigilias Evangelium legi jusserit S. Pater, declarat S. Hildegardis his verbis; *Hoc etiam intendit, ut si quis pro raritate Sacerdotum, seu præ occupatione alicujus impedimenti eo die Missam habere, vel Missæ interesse non poterit, lectum, & auditum Evangelium sibi sufficiat*. Hujus autem lectionis tempore miracula, ut plurimum patrari consuevisse, non paucis in Sanctorum nostrorum Actis apud Mabillon exemplis constat. & quidem in Vita Sancti Germani Parisiensis Tomo IV. legitur miraculum in Ecclesia Monachorum, matutinorum tempore *dum legeretur Evangelium*; Item & Tomo V. in Vita Sancti Liudgeri narratur, quandam puellam a Sancto viro cæcitate liberatam *tempore matutinorum dum Evangelium legeretur, more Monachorum*. Tomo itidem VI. in Vita Sancti Convvojonis Abbatis legitur miraculum factum cuidam Diacono, *cum legeretur Evangelium a Monachis tempore matutinorum*.

Digitized by Google

leſcens quidam arreptus Demonio Regium properans ad eum deductus eſt in propatulo cui non ſolum loquendi officium ſed ſemper agitando caput pariter abſtulerat & auditum quod ita agitabatur ut vix ab aliquo teneretur quod ſæpe tentatum eſt. Verum ante Altare tanti Patris dum ſtaret & oculos huc atque illuc amens dirigeret ejus adiutus ſuffragiis expulſo Demone recto ſiſtens capite cepit audire & perſequi verba mirifice. ad quod non ſolum Regienſes verum etiam contiguarum regionum finitimi tante rei obſtupefacti miraculo undique confluxerant quem quis eſſet aut unde veniſſet percunctantes nullo modo ſcire potuerunt. Ex quo idem erroris ſpiritus illum ab infantia arripuiſſe liquido demonſtratum eſt. Tunc que verbo tenus ei inſinuare quiſque curabat ea audiens dicendo proſequebatur. Juxta ſe quippe ut nobis narravit eundem Demonem nigrum & deformem illico poſt ſui abſolutionem ſtantem aſpexit. Cujus quidem aſpectum timore etiam tum perterritus ferre non valens alias tendere cupiens mox divina quod actum eſt providentia quidam veneranda canitie ſenex ſibi apparuit qui ipſum Demonem nimia cum feſtinatione fugavit. O vere mira & inefabilis Sanctorum gloria que nequit mortalium exiſtimatione taxari & termino ullo concludi. Chriſti videlicet Pontifex Proſper ut de ceteris ſileam egregius pietate miſericordia & caritate ſignorumque etiam virtutibus approbatus quod quondam geſſit in Sacerdotio (22) multi-

(22) *Sacerdotio*. Ideſt Epiſcopatu; *Sacerdotis* namque ſolo titulo Epiſcopos in antiquitate ſæpius deſignatos, pluribus exemplis probari poſſet.

Digitized by Google

tiplicat in sepulcro. Ab ipso enim parte sanitate procedunt quibus vivificantur tabidi medentur infirmi. Vigilat profecto Dei spiritus vivacibus in favillis ideoque de perpetuo fonte sanctitatis latex jocundus erumpens peccatores lavat & gaudia salutis administrat. Ille vero ut filios corruscantibus signis quo mens nostra sequenda quo spes tenenda quo etiam animus dirigendus sit de die in diem ut diximus edocet. Sed peccatorum mole depressi & molestie sarcina pregravati animadvertere minus curamus. Unde unanimes effecti & caritatis pinguedine saginati spe quoque divine pietatis illecti deprecemur ut veniam delictorum quam per nos obstantibus culpis obtinere non possumus ipso intercedente mereamur. ut criminum labe exuti divinis possimus obedire preceptis.

XI. Sepe enim Christi misericordia comite nesciendo deducuntur quo pauca sperando multa proveniunt. sed si iste de quo dicturus sum inedia corporis stimulante ad venerabilem locum veniens inopinate retulit quod non petivit. facilius ejus misericordiam assidue implorantes prout credimus impetrabunt. Parmensis quidam ex eminentiori loco cujusdam arboris mire magnitudinis quodam tempore decidens officio lingue inter cetera privatus est. Idem Templum ingressus elimosinam dum ab introeuntibus prestolaretur loquelam quam longo prius tempore amiserat beati Prosperi intervenientibus meritis in modico recipere meruit.

XII. In illis preterea diebus quedam mulier oculorum lumine privata (23) tamen lumine ad modum

(23) *lumine privata*) hic deest aliquid; sensus enim ad modum implicatus.

dum & opere pollens priorem Ecclesiam ipsius venerabilis Viri visitare deducta est. Ubi cum preces suas Domino devoto corde detulisset mox mirum in modum gutte sanguinis que oculorum ejus pupillas longo tempore crassiores effecerant in terram defluentes clara sibi lumina reddiderunt ut altera die domum unde venerat nullo ducente reverteretur. Divulgabatur autem fama tanti Confessoris per diversarum provinciarum spatia quam multi variis infirmitatibus afflicti audientes facto voto ejus flagitabant suffragia. qui protinus sanitate recepta ad ipsius sancta properabant limina de quorum numero plures curatos vidimus ut hec ipsis narrantibus pro certo cognovimus.

XIII. Dum hec & alia geruntur quedam cujusdam nostri vernacula montani que ab infantia penitus ammiserat gressum audiens multos precibus & meritis beati Prosperi diversis languoribus curatos ad eum properare ferventi desiderio estuabat. Cum vero ibi per aliquot dies crebris orationibus atque vigiliis possibile illi tamen se posse curare credens desudaret & beati Antistitis meritum ut sui misereretur devotissime imploraret directis cruribus & viribus revocatis ad loca unde venerat nullo indigens sustentamine remeavit.

XIV. Per idem quoque tempus quidam Turonicus Roma revertens sed incredibiliora forte dicturus sum verum, sicut ipse protulit teste Christo non mentior more pecudum manus & genua trahendo pronus incedens & plurimorum domos querendo circuens ab omnibus ejusdem Urbis Civibus notissimus ha-

Digitized by Google

habebatur. Accidit autem inter cetera ut vi febrium correptus pluribus diebus recubans vis qui sibi misereretur invenerat. Ad quem sanctissimus Pater illius infirmitatis & calamitatis compatiens sanandi gratia quadam nocte intrare non renuit. Quem ut vocavit divina inspiratione tactus ut sui misereretur tota mente petivit. Vir autem Dei nec cunctatus e lectulo eduxit & membra illius singilatim distraere cepit ut locatis compagibus rectius ad invicem connecterentur. Tunc debilis pre dolore carnis vociferans cunctis in eadem domo expergefactis a quodam Presbitero se distrahi indicavit. Quem amentem & delirum illico reputantes ut daret se silentio preceperunt. Sanitati tandem restituto ut suam Ecclesiam visitaret facto mane edicit. quid plura? illucescente die coram astantibus & ei congratulantibus eam recto itinere gratias agendo petiit & tripetia que scolastice tripodas (24) nuncupamus quibus ipse inrepere consueverat illuc in testimonium deportavit. Quis hec audiendo a Dei laudibus & a tam religiosi viri reverentia merito sibi exhibenda immunis extat? Aut quis dubitet quod tam preclarus virtutibus Pontifex ut corporum ita etiam animarum morbos sua prevalida intercessione non possit depellere. cum ista & alia quamplurima ejus sedu-

(24) *Tripodas*. S. Severus Sulpitius dial. 2. de vita S. Martini hæc habet; *sedebat autem Sanctus Martinus in sellula rustica, ut est in usibus servulorum, quas nos rustici Galli Tripetias, Vos Scholastici, aut certe tu qui de gracia venis, tripodas nuncupatis*. Hic autem puto accipi debere pro ligneolis in solearum vicem assumptis, quorum auxilio, manibus genibusque ægre gradiebatur infirmus.

Digitized by Google

ſedulis orationibus ſentiat corruſcare? Longum quippe eſt ire per ſingula que vidi vel certis auctoribus divulgata cognovi. Quare per omnia generaliter currere non potui. quedam tamen excellentiora ut preſens ad fidelium exempla ſpecialiter intimare curavi. Quod quidem nefas fore putavi tam preclarum cunctiſque venerabile ſignum poſteris ocultari, quia ut vere fateor neminem tam mirabiliter curari nec vidi nec didici. Unde quod ſine non refero (25) quoniam pleriſque incredibile videbatur curatum & ipſum. apud quem hoſpitabatur in medium duximus ne hoc aliqua falſitatis nebula obfuſcaretur ſed firmius & verius inter ejus preclara miracula haberetur. Que omnia ſicut ſupra retulimus multis aſtantibus ſub jusjurandum proteſtati ſunt.

XV. Ad hec vero quidam Lucane (26) Provin-

(25) *ſine non refero*) adeo implicata, obſcuraque eſt hæc periodus, ut quid ſibi velit diſpicere vix poſſis.

(26) *Lucane Provincie*. Lucaniam vulgo *Baſilicata*, inter Picentes, & Brutios ad ortum, ac inter Apuliam, Appenino monte intercedente, & oram Thyreni maris ad meridiem contentam, hic intelligere nos vult Scriptor noſter, aut Lucenſem Provinciam, ipſi Tyreno mari adjacentem. De quibus in Lex. Geogr Baudrand ſic legitur; *Tyrrhenum mare, quod & Tuſcum & Inferum, & Natium teſte Plinio dicitur, Thuſciam, Latium, Campaniam, Picentes, Lucaniam, & Brutios uſque ad fretum ſiculum alluens, vulgo il mar Toſco*. Item & in verbo *Luca*; Lucenſis Provincia ſic ibi deſcribitur; *Tractus Lucenſis extenditur inter mare Tyrenum, Montem Appeninum ex parte, ditionem magni ducis, & Carferonianam tractum ducis Mutinenſis*. Pro Lucana itaque Provincia *Baſilicatam* proprie intelligi debere, quamvis nullus dubitem, attamen ſi & pro *Lucenſi* hic uſurpari quis autumet, fortaſſe a veroſimili non deflecteret; vicinior namque hæc eſt Urbi noſtræ, ubi Divi Proſperi corpus aſſervabatur. Veruntamen nil abſurdi, ſi & de altera intellexiſſe opinaremur.

Digitized by Google

vincie negotiator dum in Tirreno mari navigaret subito vimentorum (27) turbo impulsus exortus est qui navim jam fatiscentibus rimis undique undarum mole premebat ; ceteri vero spe jam vite ammissa ut fluctibus obruerentur expectantes solus senior ille extensis manibus beatissimi Prosperi invocabat auxilium . Nec mora tempestate sedata nihil amittens ad Portum meruit pervenire tranquillum. Quod posmodum ad veniens Ecclesiam suam multis lampadibus oleo coronatis perornavit nec non & plurima dona pauperibus erogavit gratias agens tante inundationis evasisse naufragium. Cum has denique lampadas oblaturus procederet quod quidem pretereundum non est contigit ut una cum Asello qui eas detulerat per saxea viscera longius discurrerent tamen ita incolumes reperte sunt ac si super mollissimas plumas decidissent. Quod ergo ut fides advenientis corroboraretur & nostra fragilitas sublevaretur & virtus Sancti magis ac magis dilataretur superata natura declaratum est.

XVI. Consequenti itidem tempore accidit ut Rusticus quidam eisdem degens partibus officium manus dextere digitis brachio adherentibus penitus amitteret. Cui pro inopia egestata fluctuante per soporem dictum est ut ad Sancti Prosperi limina quantocius properaret . Qui ardua montium concava vallium nimio desiderio peragrans ad optatum locum summa cum veneratione descendit . Quid longius morer ? lumen vero quod in sinistra ante ipsius titulum

(27) *Vimentorum turbo*. idest, congeries vimentorum, impulsa contra Navim.

lum (28) ſtans geſtabat altera reſumptis viribus nec diu morata recepit. Quis enim tantum miracula merito poſteris referenda enarare ſufficiat cum nulla ſit meta referendi? Latius enim ipſe ſignis & virtutibus corruſcando diffunditur quam ut valeat ſermone concludi. Namque poſtquam ea que ſuperior textus retulit Deo annuente expoſui cetera que ſecuntur ipſius meritis claruerunt. Sed nunc potius viſa quam ab aliis audita dicturus ſum quamvis parva e plurimis referam.

XVII. Sub eodem vero tempore die natalis (29) ejus dum frequens turba more ſolito ad ipſius glorioſi Preſulis Edem ex diverſis partibus conveniſſet quidam puerulus ex Burzano (30) Oppido nudius ter-

(28) *Titulum*: i. Altare, aut Presbyterium. Quamvis etenim Tituli vocabulum a ſacræ ſcripturæ interpretibus pro *Termino*, aut *Signo*, ut plurimum accipi non ignorem, cum tamen me non lateat pro Altari etiam, aut Eccleſia ab aliis uſurpari, hæc mihi hoc loci arridet interpretatio ob contextum. Deinde ex ipſomet ſacro Codice *Jacob erexit lapidem in titulum* ideſt Altare, conſecravitque, *fundens oleum deſuper*. Ex Lexico autem Duchangii hæc habentur; *Titulus, pars ea Eccleſiæ, in qua Altare conſiſtit*; nam Βῆμα *Græcis, Latinis Scriptoribus Presbyterium*; & citatur Leo Oſtienſ. lib. 2. c. 3. & 51. & l. 3. cap. 28. & 29.

(29) *Die natalis ejus*. Divi Proſperi natalem diem, qua ad Superos tranſiit, antiquitus VII. Kal. Decembris celebratam fuiſſe, pluribus mihi conſtat argumentis, quæ poſtea afferentur. Ac cum ſequiori ætate, Honorio duce, error invaluit, Proſperum Regienſem Epiſcopum pro Aquitano venditari, ad diem VII. Kal. Julii, qua Aquitanum deceſſiſſe perſuaſum habebant, & ipſius diem feſtum retractum fuiſſe, probabiliter ſuſpicamur.

(30) *Burzano Oppido*. Villula modo eſt, ſex milliaribus a Regio diſtans. An ibi fuerit antiquitus Oppidum, noſtra non intereſt, Regienſium rerum Scriptores conſulantur. Id tantum animadvertere hic juvat, In Gallia ad Axonam fluvium, qui per Campaniam in Æ-

Digitized by Google

tertius advenerat divina quod credimus actum est providentia ...... tripetiis prefati Turonici quem ipse Pater olim curaverat que sanatus ut diximus ad indicium sue curationis reliquerat curvatus & nimium fatigatus devenit ibique dum missarum sollemnia celebrantur nervorum compagibus restitutis astante populo erectus relictis tripetiis incedere cepit. Quo facto clamor magnificantium Deum in Cœlum attollitur & beati Prosperi auxilium subnixis precibus devotissime imploratur.

XVIII. Quod audiens contractus qui pro foribus Ecclesie sancte Dei Genitricis per anni circulum membrorum auxilio fere destitutus incumbebat sperans se orationibus ejusdem Virginis & beati Prosperi meritis adjuvari ad eundem locum flebilibus vocibus protinus ut portaretur orabat. Cujus precibus quedam fidelis matrona ipsius Civitatis commota fide & virtute illorum qui paraliticum ante Dominum per tegulas submiserant nimis credula mulier candens impositum asino eum quantocius illuc deducere cepit. Illico per dimidiam fere horam in oratione persistens dehinc timore carnis exestuans ma-

siam per Suessiones ex finibus Rhemensium fluit, teste Mabillonio, extare castrum Portiani To. V. Act. SS. sec. IV. quare mirificum hoc portentum & alia nonnulla quæ hic narrantur, si ad S. Prosperi Aurelianensis tumulum, aut etiam ad illius Prosperi Sepulchrum, quicumque ille sit, quem Aquitanum credunt, veneranturque Rhegienses Galli, opinaremur contigisse, aliquantula non destitueremur probabilitate; ut ex dictis, dicendisque clarescet magis. Unde & hæc atque similia Auctorem nostrum ab alio Auctore Gallo mutuatum fuisse suspicari quis posset. Enim vero, cur nec ab Hispania, nec a Germania, nec ab alia regione, sed ab una Gallia tot devotos ad divum nostrum evocare?

Digitized by Google

magis mori quam vivere exoptabat. Pavore nihilominus omnes exterriti pro foribus ipsius Ecclesie aliquantulum Dei expectantes misericordiam secesserunt. Redeuntes vero cum timore & reverentia sustentante baculo illum ambulantem reperientes gratias Deo in commune egerunt. quem post paucos dies debilitate fugata firmis vidimus incedere plantis.

XIX. Cum ergo hec sacris inculcarem paginulis. ecce vetulus ex Ventoso (31) Castello delatus cupiens se supra dictorum numero sociari eandem Basilicam flexis sine mora poplitibus ingressus oratione vero completa hospitium nulla sospitate recepta solito tristior petivit. sequenti autem die in se reversus suorum delictorum maculam penitendo diluens & in se delinquentibus toto corde dimittens sic denuo ad sanctum locum resumptis viribus animi pervenit. Ut non solum gressus quos per triennium amiserat recepit. verum etiam qualiter de cetero conversari deberet instructus redire promeruit. Ex quo liquido apparet quia quandocumque Ecclesiam Dei aliqua postulando remedia petimus vitia & peccata foris relaxare debeamus & tunc exaudiri merebimur Domino dicente quecumque petieritis in nomine meo credentes impetrabitis.

XX. Ex Vico denique Sisso (32) ejusdem Civitatis

(31) *Ventoso Castello*. In feudali ditione nobilium Comitum de Vallisneria, a Civitate viginti circiter milliaribus distante, lacus & hodie visitur, portentosa naturæ arte in montis summitate amænissime situs, qui dicitur *Lago di Ventasso*; cui & adjacens Castrum antiquitus extitisse, ob quædam rudera probabiliter creditur.

(32) *Ex Vico denique Sisso*. Hic vicus, seu Villa est in Regiensi

tatis vicino quedam matrona ad quendam suum Compatrem die dominico cum Xenio (33) properabat. Vesperascente vero quidam juvenis mire magnitudinis albis indutus vestibus sicut ipsa referente cognovimus sibi factus est obvius. Quod ut Villulam quam propius aspexerat nocte imminente declinare suasit juxta preceptum Domini dicentis ambulate dum lucem habetis ne tenebre Vos comprehendant. Illa vero nequaquam illius verbis adquiescens arreptum iter cepit ire festina. Juvene autem ipso quasi avis dum volat celeriter abeunte urgente honore & tremore confusa lapsa (34) est. & vix ad optatum locum quasi semiviva pervenit. In lectulo enim quasi mortua pluribus diebus recubans extremo ita incurvata est ut nullum egressionis in se ostenderet signum. Imposita denique Birote ad prefatam Ecclesiam deducta & a Custode in secretiori parte ipsius Basilice collocata clauso ostio sola relicta est. Redeunte vero Custode post duarum fere horarum spatia ut eam exire compelleret erectam circuiendo Altare invenit. Tunc terratenus provolutus (35) gratias egit Deo & pulsatis Ecclesie signis nobis que acciderant patefecit.

XXI. Sed inter cetera opere pretium est hujusmodi miraculum specialiter annotare quod pluribus natali-

gienſi ditione, duo circiter milliaribus distans ab Urbe, dicta etiam hodie *Villa di Sesso*.

(33) *Cum Xenio*. i. munusculo, quod per Compatres, seu Baptizandorum fidejussores dari solebat, & etiamnum solet.

(34) *Lapsa est*. idest quasi exanimis cecidit

(35) *Terratenus provolutus*. i. in Terram prostratus.

talitii ejus (36) diebus olim eveniſſe narratur. Nam octavo Kalendarum Decembrium quando venera-

(36) *Natalis ejus diebus*. Cum mihi ſemper perſuaſum habuerim, nullo argumento fulciri poſſe epiſcopatum D. Proſperi Aquitani, & multo minus quod Regio noſtro in Æmilia præeſſe potuerit, ita ſemper dubius hæſi, num Proſperi noſtri emortualis dies VII. Kal. Jul. jure aſſignanda ſit, an potius diei VIII. Kal. Decembris, qua & ipſiuſmet corporis translationem per Epiſcopum ejus ſucceſſorem Beatum Thomam peractam fuiſſe traditio eſt. Enimvero, cum certi ſimus in antiquiſſimo omnium Martyrologio Divo Hieronymo attributo, quod per Franciſcum Mariam Florentinum vulgatum habemus, laudari Proſperum Regienſem Epiſcopum ad dictam diem VIII. Kal. Decemb., ſatis eſſe putavi, ut dicerem, eum ipſum fuiſſe, qui in Cathedra Eccleſiæ noſtræ Regienſis cum fama ſanctitatis ſederit ſeculo tertio labente, aut quarto ineunte. Ecquis enim ſibi ſuadeat, Hieronymum, aut auctorem quicumque ille fuerit, tertii, vel quarti ſeculi, intelligendum eſſe ibi de divo Proſpero Aquitano, cum in confeſſo ſit apud omnes, hunc diem extremum obiiſſe circa ſeculi quinti medietatem, Hieronymum autem Anno 420? Atque hinc erui ratio poteſt, cur unum Proſperum pro alio uſurpaverint majores noſtri. Cum enim ex una parte aliquot hujus nominis viri intra non longum temporis ſpatium vixerint, & quidem doctrina, & ſanctitate celebres, ex alia vero, homines ſequiorum temporum, quibus res hiſtoriæ tenebris involutæ erant, critica eruditione ut plurimum eſſent deſtituti, nil mirum, ſi Proſperum noſtrum Epiſcopum pro Aquitano venditaverint. Ad id etiam ſibi perſuadendum impellere aliquos facile potuit ingenitum gloriolæ deſiderium; cum etenim omni ætate, & ubique clara fuerit Proſperi Aquitani ſanctitas, & eruditio, quilibet eum ipſum pro Epiſcopo ſibi ſumere non dubitavit, ubi aliquem in patria ſua ejuſdem nominis virum, & epiſcopalem cathedram tenuiſſe, & ſanctiſſime obiiſſe cognovit. Ad id autem confirmandum vel ex ipſo auctore noſtro habere mihi videor indicium: nam quæ alia quæſo cauſſa, cur diem natalem ejus cum ipſa translationis die confunderet? De alio autem quam de Regio noſtro in præfato martyrologio mentionem fieri omnino pernego. De Galliæ namque Rhegio intelligi non poſſe conſtat, quod inibi nullus hujus nominis Epiſcopus inveniatur; licet enim apud nonnullos opinio diu ſteterit, ibi Proſperum Aqui-

nerabilis taanslationis ejus (37) dies celebratur prelibato Sigefredo (38) Episcopo ad missarum solempnia tunc se pro foribus prioris (39) Ecclesie solito more preparante cuidam ceco lumen reddidit quem ipse Sanctus ex Tuscie (40) partibus quondam ad se properantem ut supra dictum est manum aridam sibi restituendo curaverat. Tunc idem Pontifex

quitanum Episcopum decessisse, attamen eruditiores moderni id longe a veritate abesse contendunt, rationibusque probant, quos inter doctissimus Dupinus, ac Dionysius Samartanus Ordinis nostri monachus in sua Gallia christiana T. I. Illud praeterea adnotare hic denuo placet, vel ab Scriptore Gallo desumpta esse non pauca, quae per Scriptorem nostrum in Divi Prosperi vita, & miraculis narrantur, vel monachum ipsum vitae ejusmodi auctorem, e Galliis, (Monasterio scilicet cluniacensi, aut alio) fortasse accersitum, plura quae inibi legerat accidisse, cum iis quae hic acciderant pie condcpisse, prout tunc temporis moris erat. Speramus vero, haec apud concives nostros invidiam nobis minime factura, qui certo sciant, nihil aut sanctitati ejus, cujus cineres possidemus, aut populorum pietati officere, sive unus, sive alius sit divus noster, sive una, sive alia die praeclara ejus memoria celebretur; idque eo magis speramus, quod amore veritatis, quae Sanctis nunquam non chara est, scribimus, paratissimos nos profitentes, Sanctum nostrum, quicumque ille sit, centies in die venerari.

(37) *Translationis ejus*. Quamvis & eadem die in Regiensi Ecclesia fiat commemoratio fictitiae sub Ermenaldo Episcopo translationis Corporis D. Prosperi; attamen cum satis, superque jam probaverim in prima parte Commentariorum Monasterii D. Prosperi, nullo modo posse hanc sustineri, de ea tantum quae a Beato Thoma Episcopo post aliquot annos a Divi Prosperi obitu peracta fuit, Scriptor hic est intelligendus.

(38) *Sigifredo Episcopo*. consule notata n. I.

(39) *Prioris Ecclesia*. idest praef. tae Ecclesiae, de alia namque antiquiore non potest esse sermo, cum Sigifredi II. tempore vestigia illius vix extitisse probabile sit.

(40) *Ex Thuscie partibus*. De hoc miraculo in impressis nullam mentionem invenio.

Digitized by Google

ſex & omnis clericorum multitudo dignis laudibus dederunt vocem pſalentium cuncti catervatim ante ipſius venerabilem Titulum corruerunt fideliter poſtulantes ut eis divina pietas ſubvenire dignaretur. erecti aurem rurſus in Celum clamore ſublato Chriſtum Dominum alta voce fateri ceperunt. Expletis demum Miſſarum ſolempniis non ſolum corporali lumine ſed etiam ſpirituali pabulo recreatus ſumma cum admiratione diſceſſit. Hec omnia ad declaranda beati Antiſtitis merita & ad corrigenda noſtri reatus vitia geſta ſunt. Quia ſigna ut Apoſtolus ait infidelibus non fidelibus fiunt. Mundi etenim amando illecebras & aliena ſectando propria odimus. ideoque tot corruſcantibus ſignis a proprio Patrono cogimur ut revertamur ne forte alieni Deo per ignorantiam efficiamur qui omnes homines vult ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire cujus ſplendore illuminati veritatis viam agnoſcere & ad ſupernam patriam beato Proſpero ducente feliciter pervenire mereamur. Ergo amore Chriſti & ipſius venerabilis Viri impulſu & ſuaſione Sigifredi (41) Preſulis devictus partem que vidi partem ab his qui interſuerunt ſiſcitatus ruſticiori ſtilo malui hec ſcribere quam propter negligentiam & Scriptorum inopiam ut hactenus oblivioni traderentur. Poteram profecto plura de ſancto referre Viro. Sed iſta credentibus ſufficiant. cui hujuſmodi enim pauca non ſufficiunt multa nequaquam proderunt. Nemo igitur de omiſſis virtutibus dubitet cum in preſentiarum ejus interventu videat paraliticos curari. claudi-

can-

(41) *Sigifredi Preſulis*. nempe ſecundi.

cantibus gressum restitui & plures a variis infirmitatibus liberari. Quapropter dilectissimi toto mentis affectu Dei misericordiam imploremus ut qui eum pacifice esse voluit in populo nos cum tranquilitate disponat in mundo. Et qui multis virtutibus ejus exornat Tumulum ipsius beati Prosperi adjuvantibus meritis una cum illo nos consortes efficiat in perpetuum. Amen.

XXII. Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo lxxi. miraculum memoria dignum per merita & intercessionem viventium operatus est Dominus. quia juxta Apostolum signa infidelibus non fidelibus data sunt. Quendam namque Francigenam mirabiliter ad se perduxit mirabiliusque curavit. Cujus curationis modum & qualiter Ecclesiam ejusdem precellentissimi Prosperi adjerit. qualiterve remedium salutis potitus sit non silentio tegere ratum duximus. quia sicut mirabilia Domini ennarare & ad laudem Sanctorum literis comendare gloriosum est. ita e contrario signiter oblivioni tradere & a notitia plurimorum qui forte eisdem ad amorem Dei provocarentur subtrahere periculosissimum est. Fuit itaque supradictus Vir de Civitate (42) Mezorum que est vicina Urbi Remensium (43) non ignobili familia ortus cuius parentes eum

(42) *De Civitate Mezorum*. Fortasse Metzorum; de Metensi etenim Urbe hæc habentur, in Lexic. Geogr. Ferrarii apud Baudr. *Meta, metensis Urbs Gregorio Turonensi, Mediomatrices Cæsari, Metz Urbs Galliæ Belgicæ in Lotharingia ad Mosellam, Episcopalis sub Archiepiscopo Trevirensi* &c. sed cum non vicina sit urbi Remensium, poterit de alia intelligi quæ dicitur *Mezieres*.

(43) *Urbi Remensium* de hac sic legitur in suprad. Lexico; *Re-*

Digitized by Google

eum primitus in Monasterio attondendum (44) devoverunt. Sed vota minime reddentes eidem juveni causa maxime calamitatis extiterunt. Denique longo non post hec exacto tempore pluribus malis sibi succedentibus ita postremo contractus est ut per se minime incedere posset. Tandem Parentes ejus miserie condolentes se se obnoxios proclamabant cupientesque ei opitulari per plurima Sanctorum loca deduxerunt & circumquaque pene cuncta perlustrantes tandem ad Leuni (45) Hispanie Civitatem devenerunt ibique ante reliquias beati Isidori (46) pro ejus sospitate diu perorantes idem juvenis soporatus hujusmodi visionem vidit in similitudinem pulcherimi clerici & admodum reverendi vultus dicens sibi apparuisse Virum qui ei talia monita intulit. Quid inquit tanto fastidio terrarum immensitatem circuis ignorans a quo curandus sis? Ommitte

Remi, *Rems*; *populi & Urbs Gallia Belgica*, *Archiepiscopalis*, *& Campania metropolis*, *inter Lutetiam Parisiorum ad occasum*, *& Metas Urbem Austrasia in ortum*, 40. *leucis circiter* &c.

(44) *Attondendum*. idest Monachum faciendum; hujusmodi enim phrasi Historici Galli utuntur persæpe; idque desumptum est ex monastica tonsura, de qua apud Scriptores, & præcipue Mabillonium nostrum To. II. Act. SS. Ord. S. Bened. & To. III. in præfatione, ac notis.

(45) *Leuni*. Legionem, Civitatem satis celebrem hic exprimi puto, quæ & *Leon* dicitur, & ab Italis *Leone di Spagna*. Hæc autem Urbs sita est in Hispania Tarraconensi, ex qua *Legionense Regnum*, cujus ipsa caput est.

(46) *Beati Isidori*. Sancti Isidori Archiepiscopi Hispalensis Doctoris eximii, & Monastici Ordinis in Hispania propagatoris Corpus ab Eneto Saracenorum Principe Hispali dominante per Ferdinandum I. Castellæ, & Legionis Regem redemptum, Legionem translatum est, ibique tumulatum.

Digitized by Google

mitte ergo omnes sollicitudines & quantocius perfecte fidens in Deum Sanctorum Apostolorum limina petito . & eundo in itinere ad quandam Civitatem que Regium nuncupatur devenies ibique remedium percipies salutis . Tum ille ad eum . quis es qui me tuis consolationibus pulsas ? ad que ita paucis respondit . Cur ita sollicitus requiris qui sim ? ne verearis . sed tantum velox perfice jussa . Tunc ille evigilans & visionem parentibus indicans quasi pro ludibrio habitus est . ab eis mentecaptum eum asserentibus . Frustratus itaque consilio parentum substitit . Interea non longo interstitio temporis traiecto residente item eo in Oppido Capis (47) spe recuperande salutis ad memoriam (48) beati Vincentii martiris eadem effigie eodemque vultu quo prius idem clericus apparuit ei . proprioque eum nomine vocans cur ait segnis fuisti implere mandata que tibi pro tua salute proposui ? & infit . quis es qui talia mihi precipis qui talia monita prebes? Respondit ego sum Prosper Antistes . sed cave ut prius tibi dixi ne in longum tendas eundi moras . At ille expergefactus rei ordinem iterum parentibus pandit . Illis autem ut prius in sua ignavia perdurantibus & delirum eum arbitrantibus spem penitus itineris absciderunt . Sed sanctissimus Prosper

plus

(47) *Oppido Capis* . Quodnam sit istud Oppidum , in quo S. Vincentii corpus asservaretur , assequi nondum potui . Illud in geographicis Lexicis frustra perquisivi . Num sacrum promontorium , quod Hispanis *Cabo de S. Vincente?* Lectoris judicium esto .

(48) *Memoriam Beati Vincentii* . Sanctorum Martyrum sepulchra , *Memorias Sanctorum* passim appellari , pluribus probari posset .

plus miserans juvenis mestitiam quam pensans parentum illius duritiam tertio apparuit ei eadem specie qua prius consistente eo & efflagitante suffragium in Basilica sancte Marie Civitatis Remorum in annunciacione ejusdem sancte Marię minitans fortiter & vehementer inquirens cur a tam saluberrimo itinere ullis minis vel suasionibus parentum aut amicorum abstinuisset. adiciensque ait vide ne amplius moras innectas sed quantocius iter arripe certum ne tibi aliquid deterius contingat. Ille vero multis adversitatibus multisque familiaribus curis prepeditus non quivit extemplo obsecundare jussis. sed adveniente sollemnitate sancti Martini (49) jam binis fere lustris peractis ex quo ei hec passio accidit digressus a natali solo diu optatum iter arripuit in quo itinere multa gravia & aspera perpessus que enumerare longum est tandem ad Urbem devenit Regium ibique per biduum in Sancti Prosperi Ecclesia suas preces devotissime offerens Deo Prosperum promissionis vadem interpellans die tertio quasi quodam tedio affectus in hec verba mestus prorupit. O Sancte Prosper cernis me totis viribus dissolutum meritorum tuorum evidentiam prestolari. noli ergo quod te aliquando credo facturum aliquo peccato prepediente diferre diutius. Scis inquam scis quam longius a natali solo disiunctus sim quantaque debilitate corporis inter peregrinationis angustias depressus. subveni cicius suffragare quantocius. Talibus ergo precibus obsecrans talibusque verbis sponsiones sibi ab eo factas ingeminans ad ultimum his di-

(49) *Solemnitate S. Martini* nempe III. id. Nov.

dictis comeatum eundi petebat. scio me inquit peccatis impedientibus adhuc non mereri quod postulo. non despero de promissione quam perdidici. prosperum tantum iter deposco reversurus & effectum sponsionis requisiturus. Post orationes igitur & querimonias uberius persusas nitebatur per gradus per quos ascensus est ad Altare descendere. Interea videns quasi globum igneum in similitudine circuli supra Altare dependere & in ejus medio adinstar syderis micantis jubar quoddam splendescere nimioque ardore suum vultum sentiens calefacere cepit maximo horrore circumdari. Pavore itaque arreptus per eosdem gradus cepit concitus ut poterat descendere. At ubi ultimum gradum attigit quedam effigies in similitudinem femine ei visa est quam pavore detentus maximo nequivit perdiscere quis esset. Que ut eidem videbatur in fronte manus iniciens dejecit in terram apprehendensque eum ex una parte nec non & sanctissimus Prosper ex alia ceperunt ejus corpus cruraque distrahere. Tanta itaque vi ejus membra distenta sunt ut calciamenta & ocree quibus indutus erat longe a corpore resilirent & Tripetia (50) cum quibus tardum iter peragebat diversam in partem caderent. parique modo corrigia cum qua femur precinctum erat per partes dirimeretur. Tum vero dolore nimio adstrictus cepit flebilibus vocibus personare. Eis itaque clamoribus unanimis cetus Fratrum excitus & ille interim in se reversus divinum persentiens auxilium tactis Ecclesie signis convenit. omnis-

(50) *Tripetia*. i. fulcimenta. V. notata n. 24.

Digitized by Google

omniſque Civitas hoc addiſcens coronata eſt leticia in commune Dei magnificans clementiam qui tanta ſanctis ſuis parat ut eos & in hoc ſeculo honoribus hominum clarificet & in futura vita eterni regni premiis remuneret.

XXIII. Aliud quoque miraculum eiſdem diebus meritis ejuſdem Patroni noſtri Proſperi patratum non ſuperfluum huic opuſculo inſerendum judicavimus. Superioris etenim ſigni rumore invitante innumere populorum caterve aulam ejuſdem Deo digniſſimi Proſperi ceperunt adire & precum ſuarum promptiſſime vota perſolvere. Inter quos quedam Puella ex Caſtro Paterno (51) lumine orbata per viſum ammonita a ſua Matre perducta eſt. Que aliquantis diebus ibidem permanens divinum ſibi gratulata eſt adfore ſubſidium. Nec minus tunc ut prius popularis favor attollitur pluribus horis ac ſpatiis Dei laudans potentiam qui ſibi tantum ac talem dignatus eſt largiri patronum. qui ſicuti eos degens in corpore ſaluberrimis doctrinis illum pavit ac docuit ita ejuſdem corporis domicilium derelinquens uſque hodie faciendo ſigna ac prodigia non deſinit ad perpetuam invitare leticiam. Agamus igitur & Nos omnipotenti Deo gratias innumeras & cotidianis precibus ac bonis operibus inſiſtendo juxta Prophetam preveniamus faciem ejus in confeſſione quatenus ſepe nominando Patrono noſtro pro nobis quodammodo peculiarius intercedendo merea-

mur

(51) *Ex Caſtro Paterno*. Paterni, ſeu Paderni Villula in Regienſium collibus ſita eſt.

mur carere inferni penis validis & inferi concentibus Angelicis. Amen.

XXIV. Quamvis Fratres carissimi religiosissimi Viri Prosperi signa superius dicta credentibus sufficere diximus. quedam tamen excellentiora ipsius meritis postmodum gesta in somnis moniti preterire timemus ne simul cum pretermissis penitus oblivioni tradantur. Ac per hoc his breviter rursus ad Salvatoris laudem fidelium animos exhortamur dicentes felicem fore locum qui talem ac tantum meruit habere patronum. cujus Celi sede locata non solum plebem sibi commissam miraculis visitando & precibus sublevando excitat & gubernat verum etiam credentium corda in fide Christi cotidie corroborat & exaltat. Et ideo tam venerabilis pastoris facta non sunt silentio tegenda sed cunctis fidelibus merito predicanda. Cum universa languentium multitudo undique conveniens salutiferam ejus visitationem solito more expectaret. quedam juvencula in eadem Civitate semiviva morabatur que dum illius Ecclesiam frequentare non poterat ejus auxilium divina inspirante clementia assidue flagitabat. Eundem tamen venerabilem locum si quando petere tentabat subnixis manibus semper (52) terram volutando non parum sibi laborem prestabat. Tam brevis igitur itineris fatigatione tandem devicta quadam nocte dum beatum Prosperum in auxilium frequentius solito invocaret sanitati mirabiliter reformata diu exoptatum quemadmodum expectaverat meruit adire patronum.

XXV. Tunc quidam rusticus ex viculo ejusdem civi-

(52) *Semper*. fortasse *super*.

Digitized by Google

civitatis vicino quondam deductus juxta prefatam matricem Ecclesiam (53) infra quadam testudine (54) pari calamitate constrictus ajebatur cujusdam Urbani auxilio ipsius famosissimi Viri Templum ut ingressus est has preces divinitus inspiratus fudit ad Dominum. Omnipotens Deus a quo omnis sanitas procedit & per quem cuncta subsistunt exaudi me clamantem ad te & per merita beati Prosperi dilecti tui ab his corporalibus vinculis quibus peccato imminente astringor absolve. ut in me sicut & in ceteris divino adjutorio restitutis tua potentia ostendatur. quatinus sanitate recepta una cum ipsis tibi & eidem venerabili Prospero gratias referam in eternum. Tum qui solo tenus adclinis videbatur post paululum supra pedes erectus constitit. ac statim abdicatis seculi actibus semetipsum in servitium ipsius Ecclesie mancipavit. Verum posthec prioris non immemor beneficii sancte Dei Genitricis Domum quo prius refocilabatur cum exultatione reversus lumine eam prout potuit perornavit. (55) Quem venerabilis Virgo ut suspicati sumus ad beatum Prosperum sicut alios duos supra nominatos sanandi gratia direxerat. non quod sibi hoc impossibile esset. sed vitam fidelis Viri (56) nescientibus declararet.

XXVI.

(53) *Matricem Ecclesiam*. Ecclesia matrix, seu nutrix illa dicebatur, in qua fons baptismalis reperiebatur; ex Hierolex. Macri. Intelligitur autem hoc loco Ecclesia Cathedralis sub invocatione B. Mariæ Assumptionis.

(54) *Testudine*. i. fornice seu loculamento, aut Ædicula.

(55) *Perornavit*. Idest, Cereos, aut oleum pro lampadibus obtulit; vel etiam lampades fortasse alias dono dedit.

(56) *Fidelis Viri*. i. portenta per Deum Opt. Max. meritis D. Prosperi intercedentibus patrata.

XXVI. Nec multum post quidam montanus corporali luce privatus advenerat. qui dum Rome in atrio Ecclesie Sancti Petri Apostoli alimoniam cum ceteris postulando moraretur per visum sibi revelatum est ut ad sancti Prosperi Regiensis Episcopi Basilicam properaret. proficiscenti vero & devota mente properanti ductor non defuit. quoadusque ad sacratissima ejusdem Sancti limina pervenit. Ubi dum hec audientibus nobis narraret lumen quod per plurima annorum spatia amiserat recepit. & tunc quod in somnis didicit in se factum divina virtus ostendit. Cujus tamen curationem quedam mulier sibi convicina ut novit a quodam suo filio ad eandem venerabilem edem nulla interveniente mora se deduci precepit. Que lumen jam ex multo tempore amiserat sed oculos quasi absque ulla lesione ostendebat. Pavimentum prefate Ecclesie mox ut tetigit diutissime in modum crucis prostrata plorando oravit. Nec tamen se ullo modo astante populorum caterva erexit. donec quicquid ei ad videndi indicium attulerat quid esset veraciter indicavit. Et sic tandem incolumis restituta die quadam redit in sua. (57)

XXVII. Ipso quoque tempore cujusdam divitis Patris filia in mediolanensium partibus ab immundo spiritu acta vexabatur. que quamvis per plurima Sanctorum loca duceretur nullo modo curata est ut beatissimi Prosperi virtus etiam in illis regionibus lucide dilataretur. Interea Pater ejus ut de signis & virtutibus illius quodam sibi convicino qui inde nuper

(57) *Redit in sua*. i. ad propria se recepit.

Digitized by Google

nuper advenerat certa referente cognovit illico eam sancto Viro summa cum veneratione devovit. Quam statim nequam spiritus nimio furore repletus ultra solitum discerpens & sancti Prosperi miracula cunctis audientibus pandens. se ob illius virtutem egredi debere tandem professus est. Venerabilis vero Ambrosii Mediolanensis Episcopi festivitas in proximo ventura erat ante cujus tumulum ipsa ejusdem festivitatis die deducta diuque cruciata est nullum tamen Demon egressionis signum dedit. At ubi Pater ipsius cum ea foris egressus ad beatum Prosperum sicut devoverat deducere cepit illius mox virtutem illic adesse pestifer ipse testificans atque frusta carnis mixta sanguine sicut nobis ipsa perhibuit ad indicium egressionis ejiciens domicilium quod male arripuerat dereliquit. Basilica (58) namque ibi non longe in honore ejusdem excellentissimi Prosperi antiquitus dedicata usque hodie cernitur. idcirco Demon virtutem illius adesse ut arbitror fatebatur. Sed puella una cum Patre Regium postmodum veniens gratias Deo & beato Prospero egit qui eam tam mirabiliter ab humani generis inimico liberavit.

XXVIII. Erat in illis diebus mulier cujusdam Regiensis Viri hydropisis morbo nimis afflicta cui cum medicorum peritia nulla poterat prestare remedia. beati Prosperi divinitus inspirata cepit postulare suffragia quatenus ipso interveniente celesti mereretur frui medela. Unde dum gloriosissimi Presulis edem

M affi-

(58) *Basilica*. De quadam Ecclesia D. Prospero dicata ac in Mediolanensium finibus sita hic sermo est.

assidue prout poterat frequentare cepisset cuidam prenominate Urbis incole divina ut actum credimus clementia per visum revelatum est ut si de aqua (59) Putei qui juxta Altare ejusdem Basilice usque hodie cernitur se tercio balnearet sospes & incolumis ad propria repedaret. Quod cum fecisset corpus ipsius ita extenuatum est exsiccato ydropisis humore ut nullum in eo preterite infirmitatis remaneret indicium. Tunc quante venerationis studium circa eundem Domini Pontificem habuerit & quam fidelis extiterit & qualiter se devoverit explicare necesse non est quia cunctis hec audientibus liquet.

XXIX. Parva quidem adhuc sed tamen non pretereunda referam quia sicut in magnis ita & in minimis Deipotentia predicanda est que cuncta in Sanctis suis miracula operatur. Propterea dignum duximus ad hec illud inserere quod cuidam Patri familias proculdubio accidisse narratur. Cujus filie & ejus reliqua familia cum ad beati Prosperi Ecclesiam orationis causa ut solite fuerant cum suis oblationibus properare cepissent panes quos nitidos secum deferebant unde vivere & elemosinas facere cupiebant. ipse furore repletus abstulit & manducare non timuit. Quem mox divina ultio in tantum subsecuta est ut ex ea die frumenti panem

aliis

(59) *De aqua Putei*. Divi Prosperi Monasterio a fundamentis jam diruto, simulque & Ecclesia, ut in 2. par. Comment. nostrorum pag. 208. narravimus, antiquissimæ Turris solummodo vestigia quæ & hodie visuntur, superfuerunt, a quibus non longe Puteus est; quem, ad pericula avertenda majores nostri obturari jusserunt.

Digitized by Google

aliis poſt futurus exemplo comedere non poterat. ſed eum quaſi deſpectum & ſibi contrarium non immerito habere ceperat. Quid multis? Expleto denique Anni circulo ſolito deſtitutus cibo ita fame atenuatus erat ut vix illum vivere crederetur. Quapropter penitentia ductus ad eandem Baſilicam prout potuit feſtinavit. & tunc panem quem imminente peccato exſecraverat ut prius in cibum ſumere cepit. Unde quam carum & acceptabile ſit omnipotenti Domino Sanctorum loca frequentare & pauperes recreare animadvertere poſſumus. ipſo dicente. Quandiu feciſtis uni ex minimis iſtis mihi feciſtis.

XXX. Quedam vernacula cujuſdam Domine ſue diabolo inſtigante partem cere furto abſtulit & ad beatum Proſperum cum venientibus venit. Quam tamen ut mirifice factum eſt nullo modo accedere prevaluit. Tunc cunctis qui aderant mirantibus ream furti ſe eſſe intelligens ceram Domine ſue veniam poſtulando reddidit. quia nimirum de furto vel rapina non gratum Deo fore cognovit.

XXXI. Mulier ceca a Mutinenſium finibus egreſſa poſt hec ad Sancti Proſperi limina ut lumen reciperet veniebat. que tamen fide plena cum timore & tremore properans antequam ad eundem venerabilem locum perveniſſet beatiſſimi Proſperi intervenientibus meritis Eccleſiam de longe videre promeruit. Et ſic ceptum iter nullo ducente peregit.

Digitized by Google

Ex eodem Cod. MS.
pag. LIII.

De Inventione, vel potius revelatione, seu repositione Corporum Sanctorum Confessorum PROSPERI, VENERII, & S. JOCUNDÆ Virg., & de Consecratione Ecclesiæ ipsorum.

CAPUT TERTIUM.



QUod oculis (1) nostris vidimus literis ad memoriam retinendam mandamus. Anno Dominice Incarnationis millesimo centesimo quadragesimo quarto. Dum Presul Alberus (2) Cathedre Regiensi presideret accidit ut suasu & consilio suorum fidelium imo potius infidelium clericorum

(1) *Quod oculis nostris*. Scriptori huic, quem & auctorem credimus vitæ, ac miraculorum D. Prosperi, majorem fidem adhiberi putamus, cum eorum quæ narrat occulatum testem se prodat. Monachum vero Monasterii D. Prosperi fuisse non ambigimus, propterea quod sub initium contra clericos, aliosque talibus verbis utitur, quæ seculari clero adscriptum se non esse demonstrant. Hoc autem Scriptum, & apud Ughellum impressum videas To. V. in Append.

(2) *Alberus*. Episcopus iste fuit ex Ord. Canonicor. Regular. qui & Alberius aliquando dicitur, electus An. circit. 1140.; decessit vero post an. 1156. Ughel. To. 2. col. 371.

Digitized by Google

rum scilicet & laicorum qui instigante Diabolo Ecclesiam & Monasterium Sancti Prosperi invidia fuerant ducti idem Episcopus requireret per ambigua loca (3) Venerabile Corpus beatissimi Confessoris Prosperi . Sicque factum est ut expeteret a suis fidelibus majorem securitatem . Quadam vero nocte que pro festivitate sancti Clementis celebris habebatur fodientes Altare Sancti Prosperi de Castello invenerunt quedam ossa nullo titulo consignata . que dominus Episcopus dum reperisset aperuit eis suum consilium . Ecce inquit o fideles & amici ecce quod cum magno desiderio querebamus invenimus . Ecce corpus gloriosissimi Confessoris Christi Prosperi Domini & magni Patroni nostri . Tum denique pulsatis ejusdem Ecclesie signis ceperunt populi ejusdem Civitatis undique concurrere mirantes ad quid ista convocatio fieret . Audientes autem quod factum fuerat apertis vocibus pene simul omnes Viri & mulieres clamare ceperunt non esse hoc Sancti Prosperi Corpus sed alicujus defuncti subdole inibi repositi . Die autem illucescente dum de diversis locis affines & longinqui ad Nundinas (4) convenissent cepit idem Episco-

(3) *Per ambigua loca* . In Ecclesia scilicet S. Prosperi de Castello, quæ est intra Castrum, seu Civitatem, unde & denominationem accepit; Hæc autem, per Paulum Episcopum erecta quamvis credatur , ut in prima parte Comment. nostror. pag. 21. , attamen validioribus conjecturis , argumentisque inferri posse videtur , nonnisi per Episcopum Tauzum , ultimis fortasse Episcopatus ejus periodis fuisse excitatam ; ut in eadem prima parte Commentariorum Monasterii D. Prosperi demonstravimus.

(4) *Ad nundinas*. Ad augendam populorum lætitiam, rerumque affluentiam , mos fuit antiquitus in die festo Divi Prosperi , nem-

piscopus sugestione supradictorum illos alloqui & protestari illud esse verissime Corpus beati Prosperi, quod tamen per misericordiam Dei & intercessionem ejusdem Confessoris Christi minime illis ad credendum suggeri potuit. Hec audientes Abbas Amizo & Fratres ejus nimio sunt ad horam ut est fragilitatis humane stupore attoniti. Sed annuente ejus gratia qui suos consolari dignatus est discipulos dicens tristicia vestra vertetur in gaudium illius spe animati & gloriosi Confessoris beati videlicet Prosperi meritis roborati accersitis sue Ecclesie fidelibus multisque Civitatis Proceribus communicato cum eis consilio adeunt Episcopum postulantes & deprecantes ut is qui pastor habebatur in populo ad locum ubi beatissimi Confessoris Prosperi Corpus per multa annorum curricula celebre & preclarum ab Italie populis habetur venire & sacratissimum ejus Sarcophagum (5) aperire dignaretur. Quorum preces audire dissimulas in longum protelavit suum consilium & quasi pacata & tranquilla utens voluntate non solum per internuncios sed etiam per semetipsum

ni-

nempe VIII. Kal. Decemb. ac per octo continuos subsequentes dies nundinas celebrari; idque etiam publico Senatus decreto renovatum est seculo XVI ut in 2. parte Commentariorum nostror. pag. 68. Pancirolus equidem lib. 2. Hist. MS. Regiens. Anno 1211. has fieri cæptas scribit, & quidem apud Pontem S. Mauritii qui *Pellatus* dicebatur, extra Portam Divi Petri, ubi Divi Lazari Hospitium quinquennio post ædificatum fuisse narrat; Hinc translatas ad locum viciniorem extra Portam eandem, ubi Forum Boarium erat. At, antiquius esse earundem initium ex Auctore nostro satis constat.

(5) *Sarcophagum*. ex græca voce σαρκόφαγος, quæ funerum locum exprimit, in quo mortuorum carnes a vermibus comeduntur.

nitebatur compellere eos ad confirmandum & credendum errorem suum. pollicens proculdubio si ejus consilio & voluntati obedirent & super hoc contempti & taciti esse vellent ipse eis dimidium (6) illius fictitii Sancti Corpus tribueret & cum omni clero & populo sui Episcopatus ambas Ecclesias ad nomen & honorem ipsius dedicare. dualque festivitates in anno per totum Episcopatum celebrandas predicaret unam in Monasterio & alteram Castello. Quod Abbas ut audivit pro ridiculo computans sic infit: Heu heu quis unquam tam frivolum tamque pessimum audire potuit ut sanctissimum & preclarissimum sancti Prosperi Corpus quod per quadringentos (7) & quadraginta quatuor annos a sancte memo-

(6) *Dimidium illius &c.* Cujusnam fuerit Corpus illud, cui D. Prosperi nomen ad arbitrium donatum legimus, cujusque dimidium ad sedandos Monachorum animos Alberius Episcopus eisdem offerre censuit, minime constat. Fortasse credet quispiam alicujus pii Viri, etiam Beati; Difficillime tamen id mihi suadeam; Quamvis etenim assentirer, sub Ara Ecclesiæ de Castello inventum fuisse, in eo scilicet loco, ubi Beatorum tantum Corpora recondi consueverunt, attamen (ut prætercam in hoc etiam abusus irrepsisse, quos compellere non semel necesse fuerit, ut pluribus probare possem:) si indicia ipsa animadvertamus, quæ illic inventa fuere, certo pronunciabimus, Corpus illud Sancti hominis exuvias non fuisse. Etenim nonnisi Canes ad venandum, Capros, Venatoresque super inventam Capsulam pictos fuisse, adversarii ipsi observarunt, & vulgarunt. Quod ego sane non retulissem, nisi publicis typis Parmæ An. 1645. in Vita D. Prosperi nonnulli Cives ex nostris prodere haud veriti fuissent, idque ex processu super id efformato seculo XVI. ut in 2. parte Commentar. nostrorum innuimus authentice constaret. Ad probandam vero Divi Prosperi aut cujusvis alterius Beati Corporis veritatem egregia sane argumenta!

(7) *Per quadringentos & quadraginta quatuor annos:* Ab obitu D. Pro-

morie Episcopo Thoma in loco quem sibi ipse Sanctus vivens (8) in corpore elegerat repositum ab omni Regno cognoscitur cuique nos ab ipsis cunabulis (9) deservivimus . nunc nescio a quibus vel unde

D. Prosperi Episcopi ad sedem usque B. Thomæ ducentos, & quadraginta quatuor annos fluxisse apud nostros non modo, sed & apud Rhejenses in Gallia opinio stetit , sicuti observavimus in prima parte Commentariorum Monasterii D. Prosperi . Opinionem hanc invaluisse non dubitaverim ex eo , quod utrique crederent , Prosperi Aquitani verum Corpus se possidere; Cum etenim Aquitani ad superos transitus Anno 455. vel 456. probabilius contigerit , ad initium usque seculi octavi, (quo B. Thomæ sedes collocabatur) ex hac persuasione tot certe computabantur Anni ; At cum Episcoporum Regiensium , & maxime antiquorum Catalogi Catalogis contrarii admodum sint , aliquid certi proferri in hac re difficillimum est . Illud unum certum est , quod cum luce meridiana clarius , ut puto , evaserit , Prosperum Aquitanum ex albo Episcoporum ubique abradendum esse , Prosperi nostri obitum rectius , si fieri possit , figendum esse quam usque modo fecerint . Cum autem hariolari in historicis rebus peccatum sit , de re adhuc operta , initio scilicet sedis Prosperi nostri , deque Successoris ejus mediati , vel immediati Beati Thomæ nil pronunciare satius duco , quam novos errores antiquis addere. Hic autem , cum per Scriptorem hunc nostrum quadringenti , & quadraginta quatuor anni numerentur a Monasterii erectione per B. Thomam (uti opinabatur) facta , circa initium seculi octavi, ad sua usque tempora, perbelle id antiquæ suasioni cohæret ; vivebat etenim , scribebatque ea quæ acciderant, & oculis ipsemet viderat contigisse , anno scilicet 1144.

(8) *Vivens in Corpore*. Quod a Divo Prospero , *post multa annorum curricula* ab ejus obitu , Beato Thomæ per visum significatum fuerit, aliam Basilicam ædificari debere , in qua sacrum ejus Corpus reconderetur , ex ipsamet Translationis ejus historia infra cap. IV. admonemur ; quod vero adhuc vivens sepulchrum sibi in ea elegerit , id ex ejus vita non constat .

(9) *Ab ipsis cunabulis*. Ex hac Scriptoris nostri expressione, a posteris illationem deductam arbitror , Monachos nostros Monasterium inhabitare cœpisse a tempore B. Thomæ Episcopi , a quo & exci-

unde venientibus dimidium vel in minori parte divisum accipere cogamur. Deo laudes Deo gratias referimus quia totum Sancti Prosperi Corpus habemus. Absit absit ut illius vestri Sancti quem vos reperisse dicitis aliquam portionem ex nomine Sancti Prosperi accipiamus. qui enim totum possidemus dimidium accipere nolumus. Sed iterum iterumque precamur ut sicut vestri est honoris & officii cum Clero ut jam diximus & populo ad Monasterium veniatis & ipsum Sanctissimum Corpus sine omni scrupulo illud videre desiderantibus ostendatis. Cumque nullum ad suam petitionem congruum acciperent responsum reversi domum maximo cum dolore quid agerent quo verterent non invenientes tandem ut credimus divinitus inspirati quadam die ad vesperam miserunt per omnes plateas Civitatis qui nunciarent populo ut mane facto ad inveniendum Sancti Prosperi Tumulum convenirent. quod & factum est. Nam primo diluculo pulsatis omnibus Ecclesie signis convenit maxima multitudo populi. cum quibus omnibus Abbas cum Fratribus processione ordinata cum magna reverentia & supplicatione letaniarum Ecclesiam ingredientes deprecabantur Domi.

excitatum crediderunt. At si veritatem amamus, id nullatenus recte inferri posse fatebimur; quamvis etenim ab ipsis *cunabulis* prædecessores suos Monachos ad usque ejus tempora, cultui D. Prosperi addictos ibidem fuisse profiteatur hic Abbas, incunabula tamen unde inchoanda non exprimit. Cum vero solidioribus argumentis, Monasterii erectionem non nisi decimo labente seculo firmari posse jam probaverimus in prima parte Commentar. Monast. D. Prosp., ab eo tempore tantum Cunabula auspicanda, seu exordienda intellexisse credendus erit hic Abbas.

Dominum ut eis ostendere dignaretur desiderabile Thesaurum. Expletis itaque letaniis celebrarunt Missarum solempnia super ipsum Sancti Prosperi Altare. & dum celebratio misse fieret fodientes Archam que post Altare circa Tumulum Sancti Prosperi olim firmissimo muro constructa fuerat. in expletione Missæ invenerunt Limsanum (10) preciosissimi Corporis Sanctissimi Prosperi. Quo viso omnes pariter dederunt laudes ad Celum. & pre nimio gaudio lacrimas fundentes deosculati sunt ipsum sacratissimum Mausoleum (11) Consilio autem inito elegerunt quatuor monachos boni testimonii & viginti quatuor laicos probatissimos quibus sub jusjurandi sacramento imposuerunt custodiam diebus ac noctibus ipsius Altaris & pretiosi Corporis Sancti. Quodque hoc cum omni diligentia usque ad tempus constitutum sub stipendiis devotissime peregerunt. Post inventionem vero supradictam Abbas cum Fratribus & Populo adeunt Episcopum rogantes & obsecrantes ut saltim tunc ad aperiendum (12) & perlustrandum quod inven-

tum

(10) *Limsanum*. Lipsanum ex græco verbo λείψανον idest residuum seu reliquia. In Vita S. Gundulæ legitur; *Prope lipsana sacra Virginis ire religiosum duxit*; item: *erat namque cernere prope lipsanas sacra Virginis se adimisse, & sub tanta protectrice a strepitu persequentium jam securum procubuisse*. Ex Hierolex. Macri. Idque etiam innumeris aliis exemplis probari posset, ut ex Bolland. & Mabil. in Act. SS.

(11) *Mausoleum*. Μαυσώλειον Sepulcrum illud appellatum fuit, quod defuncto viro ab Artemisia excitatum narratur. Hoc postea nomen Hadriani etiam Moli aptatum fuit, & tandem cuicumque Sepulcro.

(12) *Ad aperiendum & perlustrandum*. Quamvis superius narratum sit, quod dum Missa celebraretur, *fodientes Arcam* invenerint

rint

Digitized by Google

tum fuerat Tumulum venire dignaretur. Quod minime obtinere valuerunt. Proficiscente autem eo Abinetum (13) ut sollempnitatem Apparitionis (14) Dominice ibi celebraret altera die aliqui de Proceribus ex parte Abbatis & Civium abierunt & obnixe deprecati sunt eum ut ad Sanctum Corpus inveniendum ejusque sepulchrum aperiendum veniret. Quod in ea qua prius obstinacione perseverans minime eos audire voluit. Prefatus denique Abbas cum Fratribus & fidelibus & pene omni populo nimium condolentes aliquotiens per se ipsos quandoque etiam per amicos, & fideles aliquando autem per ipsius Terre Consules ad easdem preces convertebantur. Presul vero semper consilium producebat in longum. Postquam autem nihil se posse proficere videret ac-

rint *Lipsanum Corporis D. Prosperi*, non est tamen intelligendum, quod tunc Arca ipsa fuerit aperta, sed quod solum foderent posteriorem Altaris parietem, quo Arca operiebatur, sicque Arca ipsa, quam sub Lipsani appellatione signat, quamque præterea sub Mausolei nomine devotis osculis cultam dicit, fuerit inventa. Id etenim satis liquet ex his quæ hic subjunguntur; Ut quid enim statim Episcopum interpellare pro ejusdem Arcæ aperitione, si prius aperta jam fuisset? Quod quidem magis confirmatur ex iis quæ inferius narrantur in ejusdem aperitione.

(13) *Albinetum*. Locum deliciarum Episcopii non procul ab Urbe tunc situm; Non enim intelligendum existimem Albineæ Castellum super colles, sex circiter milliaribus ab Urbe dissitum, quod tunc ad Episcopos spectabat, quodque per Joannem XXII. Pontificem Maximum Anno 1318. nobilissimæ Manfredorum familiæ jure feudi concessum fuisse, ex Diplomate in ipsorum Archivo asservato scribit Azzarius lib VI. Regio enim ad Monasterium Sancti Benedicti Padolyronensis profecturis haud iter hac esset.

(14) *Apparitionis Dominice*. Sacer Epiphaniæ dies, Apparitionis Dominicæ nomine insignitur.

accepto consilio cum suis fidelibus ut irent ad dominum Guidonem (15) sancte Romane Ecclesie presbiterum Cardinalem Legatum qui eo tempore apud Monasterium Sancti Benedicti (16) erat ut super tanto negotio cum consulerent ipsemet Abbas cum quibusdam suis Fratribus & plerisque Civitatis Proceribus preparavit se ut irent ad eum. Ceterum in eundo pervenerunt ad locum ubi predictus Presul erat. Prociden-

(15) *Guidonem*. In prima parte Commentarior. Mon D. Prosp. pag. 103. de hoc Guidone Sanctæ Sedis Legato, quod fuerit *Guido de Castello* adnotavi in Margine. Mihi etenim tunc temporis scribenti, quisnam alius is esse potuerit, qui circa ea tempora legatione pontificia in his partibus perfunctus sit, datum haud fuit invenire. Fateor equidem, non parum negotii tunc mihi facessisse tempus, quo Guido de Castello legatione perfunctus fuerat, quod certe cum iis, quæ a Scriptore nostro narrantur evenisse non bene cohærere comperiebam, Guido namque de Castello Legatus fuerat sub Cælestino II. qui diem ultimum clausit Anno 1143. idib. Martii, ex quo evidens est, quod Anno 1144. Legatus non fuerat; quare concludendum putavi, Scriptorem hunc serius, quæ viderat scripsisse, proptereaque memoriæ lapsu non rite suis annis, quæ acciderant, collocasse. Verum, cum semper paratissimo animo fuerim, ad errata, ubi obrepsisse cognoverim, corrigenda, hallucinatum me fateor; secundis etenim hisce curis, mihi id curiosius inquirenti accidit, ut duos alios S. Rom. Ecclesiæ Cardinales in quadam Bulla Lucii Papæ A. 1144. *Guidonis* nomine signatos invenerim apud Ughell. To. 2. Ital Sac. col. m. 296. quamobrem suspicio occurrit, quod eorum aliquis pontificia legatione perfunctus fuerit; & quidem ad votum res cessit; ex eodem namque Italiæ Sacræ Scriptore col m. 782. in quadam controversia arbitrantem *Guidonem de Crema*, uti Legatum Romanæ Sedis inveni anno 1146. Quare de hoc Legato rite per Scriptorem nostrum mentionem fieri nullus dubito.

(16) *Monasterium S. Benedicti*. idest de Pado-lyrone in agro Mantuanens. erectum, ac per magnam Mathildem Comitissam amplissimis muneribus ditatum, in quo sepulchrum sibi adhuc vivens elegit.

Digitized by Google

cidentes itaque ad pedes ejus corruerunt in terram & fusis lacrimis cum simul astantibus ex intimo cordis affectu quam maxime deprecabantur ut parvitatis sue preces dignaretur audire. & preciosissimum Corpus beati Confessoris Prosperi cui ab ineunte etate usque ad senium servire devoverant. & quod obfuscari nitebantur ut sui officii erat ad errorem qui apparuerat destruendum & ad ipsum preciosum Corpus honorandum ne diferret venire. Spretis vero illorum precibus & lacrimis idem Abbas pernimium commotus dixit se aditurum Romanum Legatum. quia idem Monasterium sub tutela beati Petri & Romane Sedis antiquitus & noviter (17) fuerat positum. Quod ipse non equo animo tulit sed statim interminatus est ne quid sibi aut sue Ecclesie contrarium agere temptaret. Et ille. ergo inquit jubeto mihi dari socium qui ex tua parte roget eum ut ad hoc tecum implendum venire dignetur quia ex hoc valde tuus honor accumulatur. Cum autem nullum ab eo consilium reperire valerent iter arripientes ad jam dictum Legatum usque pervenerunt. Invenientes itaque cum eo dominum Manfredum (18) venerabilem Mantuane Ecclesie Epis-

(17) *Et noviter*. Id patet ex Privil. Stephani IX. A. 1057. & Alexandri II. A. 1072. ut in prima parte Comment. Mon. pag. 51. & 71. Recentiora etiam per hujus Abbatis antecessores obtenta credibile est, quæ quamvis inter Archivi nostri tabulas non extent, flammis & ipsa tradita fuisse a quodam Comendatario, non sine probabili fundamento suspicari possemus, ut in 2. parte Comm.

(18) *Manfredum*. Seu Manfredinum, qui ab an. 1109. ad An. 1148. Mantuanam Eccl. gubernavit.

Digitized by Google

Episcopum simulque Tebaldum (19) Veronensem antistitem & domnum Albertum (20) Fraxinoriensis Monasterii Abbatem venerabilimum atque prudentissimum & religiosum Priorem (21) Monasterii Sancti Benedicti cum aliquibus suis Fratribus. cum his omnibus & aliis quamplurimis honestis clericis capitaneis & proceribus rogaverunt dominum Cardinalem quatinus negotium super quo eum rogaturi venerant clementer audire & ei terminum imponere dignaretur. Auditis denique illius negotii verbis & visis atque publice lectis sancte Rom. Ecclesie Privilegiis (22) eidem Monasterio olim attributis benigne eorum verba suscepit. & ut ipsi postulaverunt Regiensem Antistitem se se super hoc rogaturum fore illari vultu promisit. precepitque eis ut proximo die dominico ad eum redirent & quid cum Presule ordinasset ab eo manifeste audirent. Termino autem constituto reversis relatum est eis dominum Cardinalem nil boni conscilii ab Episcopo reperisse. Interea divina favente clementia factum est ut pro disponendis aliis negotiis jam fa-

tus

(19) *Thebaldum*. Hic suffectus fuit Bernardo A. 1135. decessitque An. 1157.

(20) *Albertum*. Fraxinoriense Monasterium situm erat in diæcesi Mutinen. sub titulo S. Mariæ & omnium Sanctorum per Mathildem Comitissam erectum; Nunc vero unitum esse Collegio Rom. Maronitarum a tempore Sixti V. refert Mabillon. Lib. V. Annal. Benedictinorum pag. m. 182.

(21) *Priorem*. Fortasse tunc temporis Monasterium S. Benedicti Abbate orbatum erat.

(22) *Privilegiis*. Ex quibus patet, Monasterium S. Prosperi Apostolicæ Sedi immediate subjectum.

Digitized by Google

tus Cardinalis deveniret aput Curtinovam (23) ibique hospitatus aliquot maneret diebus. Quod ut jam dictus Abbas persensit stipatus Monachorum ac nobilium Virorum catervis letabundus ad eum processit. Qui statim ad Episcopum qui ibi prope fuerat hospitatus suos nuncios dirigens eum ad se accersivit. Quo adventante idem dominus Cardinalis presentibus venerabilissimis Abbatibus Fraxinoriensi videlicet Canusino & Bersiliensi atque Cavanensi. Archipresbiteris quoque & clericis honestis quamplurimis multisque nobilissimis militibus conformavit pacem inter eundem Episcopum & Abbatem. Et precepit Episcopo ex parte Dei omnipotentis & beate Marie Virginis & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli & Domni Apostolici & totius sancte Romane Ecclesie & sua ut in termino constituto cum Clero & populo ad Monasterium pergeret & secundum voluntatem Abbatis & Fratrum juxta tanti viri decentiam sanctissimi Confessoris Mausoleum cum omni reverentia aperiret ejusque Sanctum Corpus cum maxima devotione populis ostenderet & pro posse predicare & magnificare studeret. & sub eadem contestatione precepit illi ut illud inventitium (24) corpus quod in Castello predicaverat nullius obsequii celebratione dignum ostenderet. donec de beato Prospero ea que sibi preceperat ad perfectum deduceret. Abbati vero sub ipsa attestatione

(23) *Curtinovam*. Villula est, de juribus olim Monasterii S. Benedicti Padolyronensis.

(24) *Inventitium Corpus*. Illud nempe, quod clam effossum fuerat in Ecclesia de Castello.

ne precepit ut si predictus Presul ad terminum quem sibi constituerat ea que sibi preceperat implere distulisset. ipsemet ope divina fretus auctoritate sancte Romane Ecclesie roboratus convocatis quoscumque posset Episcopis catholicis presbiteris & clericis & fidelibus laicis ipsum sanctum corpus omni populo cum ipsis ostenderet magnificaret atque exaltaret. Annuente autem eo qui occulta cordium rimatur & cujus oculis nuda sunt & aperta omnia accidit ut Dominus Cardinalis pro disponendis magnis negotiis deveniret Regium. Quo cum adventaret premisit Nuncios ad Episcopum ut interrogarent eum ubi dare vellet sibi hospicium. Reluctante autem eo & dicente sic se tunc impeditum esse quod non posset eum honeste suscipere. reversi nunciaverunt hec Domino. Et conscilio habito conduxerunt eum aput Monasterium. Et Abbas cum suis Fratribus pulsatis omnibus Ecclesie signis eum reverenter cum honorifica processione susceperunt. Igitur commorante eo aput Monasterium assivit ad se Mantuanum Parmensem (25) quoque & Mutinensem (26) Episcopos. Abbates etiam Fraxinoriensem & Parmensem Canusinum (27) quoque & Bersilensem

(25) *Parmensem*. Lanfrancum nomine, qui ex Ughello Divo Bernardo in Episcopatu Parmensi suffectus fuit circa an. 1130., seditque usque ad annum 1159.

(26) *Mutinensem*. Episcopus hic Ribaldus nomine, adlectus an. 1136., ad an. 1153. vixit.

(27) *Canusinum*. De Monasterio seu Abbatia Canusina consule dicta in 2. parte Commentariorum Monasterii D. Prosperi. Cessit postea in Commendam, sub titulo & iuvocatione *S. Leonardi* intra Civitatem; quæ post mortem Eminentiss., & Reverendiss. Domi-

ſem (28) atque Cavanenſem (29) & Priores ſancti Benedicti (30) & ſancti Ceſarii (31) ſed & plurimos religioſos Archipresbiteros & clericos. Cum autem diu pertractarent ſuper negociis pro quibus venerant & ea ad perfectum perducere non valerent. rogatu Abbatis & Fratrum & pene totius populi ſepe deprecati & exortati ſunt prelibatum Preſulem ut

mini Cardinalis de Columna, Summi Pontificis Benedicti XIV. feliciter regnantis munificentia, hæc me ſcribente, magno Eccleſiæ illius bono, ac pauperum ſubſidio, commendata eſt Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Domino Domino Joſeph Comiti Livizzani ejuſdem Summi Pontificis ſupplic. Libellor. a ſecretis.

(28) *Berſilenſem*. Brixillenſe Monaſterium, quod intra Brixilli Caſtrum ſitum eſt, hodie incolunt Moniales Benedictinæ.

(29) *Cavanenſem*. Cavanæ Monaſterium in Regienſium Montibus ſitum, in Commendam ceſſit.

(30) *Sancti Benedicti*. Conſule notata ſup. n. *16*.

(31) *Sancti Cæſarii*. Septem circiter milliaribus a Mutinæ Civitate diſtat Eccleſia, ac ditio cum Caſtro S. Cæſarii, ubi antiquitus erat Monaſterium, a Canonicis quibuſdam ſub Regula Divi Auguſtini inhabitatum; quibus Comitiſſa Mathildis Anno 1112. dono dedit Curtem ſatis amplam, cui nomen *Curtis Vilzachara, & Sancti Cæſarii*, ut ex Archivo Mon. S. Petri Mutinæ Capſ. 18. A. 12. Verum, prædictis Fratribus ſeu Canonicis a religioſæ vitæ ſtatu turpiter lapſis, *factiſque enormiter in Scandalum*, Summus Pont. Innoc. II. Eccleſiam, Monaſterium, bonaque abſtulit anno 1135., donoque dedit Monaſterio, ac Monachis S. Benedicti de Padolyrone, ut ex Bulla in eod. Arch. Capſ. 7. B. *6*. At cum temporibus ſubſecutis Monachi quotquot ibi inhabitabant, bellis, ac Præpotentum invaſionibus crebro laceſſiti, ab Abbate, ac Monaſterio S. Benedicti ſubſidia recipere difficillime ut plurimum poſſent ob loci diſtantiam, Patres noſtræ Congregationis optime conſultum putaverunt, ſi dictum Monaſterium, Curtemque *Vilzacharam S. Cæſarii* nuncupatam, a Monaſterio S. Benedicti de Pado-lyrone ad Monaſterium S. Petri Mutinæ, Summi Pontificis Eugenii IV. auctoritate, transferrent; quod factum eſt Anno 1439. ut ex eodem Archivo probatur, in Capſ. Cc. 2. G.

Digitized by Google

ut coram ipsis & cum illorum consilio & auxilio aperiret sanctissimi Corporis preciosissimum thesaurum quod per multa annorum curricula a sanctis & religiosis Viris olim honorifice fuerat repositum. Quorum preces & consilium non solum audire noluit verum etiam postulavit & in quantum potuit interdixit neu exinde aliquid agere presumerent. Quo audito nobiles & proceres Civitatis inibi astantes dolore nimio permoti cum aliquibus monachis impetum facientes Ecclesiam ingressi, cum summa festinacione ad sanctissimi Viri Corpus usque pervenerunt. & aperto illius sarcophago tanta vis odoris tantaque fragrantia inde manavit naresque omnium qui aderant & pectora refecit ut non solum Basilicam ipsam sed etiam omnem Plateam repleret. Episcopi etiam qui cum domino Cardinali intra Cameram Abbatis conscilium habituri aderant tantum sencientes odorem dederunt gloriam omnipotenti Deo qui sanctos suos ita glorificare consuevit. Reginus vero Episcopus auditis que fiebant maximam conversus in iram statim ad Palacium suum indignans recessit. In crastinum autem dominus Cardinalis & Episcopi sive Abbates qui cum ipso erant per totam diem laboraverunt quatenus eum ad concordiam revocare possent. Et sic factum est. ut ipse altera die cum Clero & Populo ad eandem Ecclesiam properaret ut super ipsas sacratissimas reliquias missarum solempnia celebraret. Inter que solempnia dominus Cardinalis ceterique Episcopi qui aderant decentissime ad honorem Dei & beatissimi Confessoris Prosperi gloriam & magnificentiam unusquisque

ad

Digitized by Google

ad populum luculentum sermonem dederunt. Peractis itaque missarum solempniis idem ipse Presul cum ipsius Monasterii Abbate aperuerunt cum maxima devotione & reverentia prelibatum sarcophagum. Et visis sacratissimis beati Prosperi reliquiis & a domino Cardinali & Episcopis sive Abbatibus sive omni clero & populo qui simul aderant in veritate cognitis summa cum exultacione & leticia ac ingenti gaudio unusquisque laudantes Dominum & gloriosissimum Confessorem Prosperum ad propria remearunt.

Post hec autem evoluto parvo temporis intersticio idem Abbas multis precibus rogare cepit supradictum Presulem ut pro Dei amore cum Clero simul & populo ad Monasterium veniret & sancti Venerii Confessoris nec non sancte Jocunde Virginis Altaria reverenter perscrutari eorumque sacra corpora si ut antiquorum fama divulgaverat invenirentur populis ostendere & predicare dignaretur. Cujus condignas & assiduas preces gratanter suscipiens libentissime se id facturum promisit. Cognito autem hoc conscilio ejusdem nominis Ecclesie Canonici (32) zelo invidie ducti pridie quando Presul ad Monasterium venire disposuerat eum ad suam Ecclesiam subdole conduxerunt. & fractis Altariis que ex nomine supradictorum Sanctorum olim consecrata fuerant repererunt ibi quedam ossa parva & pauca nullius Sancti titulo consignata. Dantes itaque ad Celum voces & per totum diem signa Ecclesie pulsantes

(32) *Ejusdem nominis Ecclesia Canonici*. Idest S. Prosperi de Castello.

tes summo conamine nisi sunt ut de beato fecerant Prospero suadere populis se veraciter inibi reperisse Corpora Sanctorum Venerii & Jocunde . Sed quoniam omnia que malo animo & invidie causa fiunt Deo & Sanctis ejus displicere solent . frustata est vana spes illorum . Nam Altaria (33) die diluculo secundum quod ordinaverat domnus Episcopus cum majoris Ecclesie Clero simulque cum ejusdem Civitatis populo reverenter ad Monasterium veniens devote super Sancti Venerii Altare ad ipsius gloriam & honorem rogatu Abbatis & Fratrum sacra Missarum celebravit misteria . Expletis vero sacris misteriis ipsemet Episcopus cum Archidiacono & Preposito (34) aliisque Sacerdotibus acceptis maleis ceperunt viriliter confringere cementum quo ipsorum Altare cum mensa decentissime fuerat glutinatum : elevataque mensa statim apparuit loculus pulcherimus candidissimo marmore coopertus . Cum magno itaque labore idem aperientes mausolium fuerat enim optime compositum atque firmissime sigillatum repererunt Corpus beatissimi Confessoris Venerii cujus sacratissimum Caput accipiens pre manibus donus Episcopus deosculatusque ipsum ostendit omni populo . Deinde accedentes ad Altare sancte Jocunde elevata desuper mensa invenerunt simili ordine compositum locellum in quo ejus corpus sacratissimum antiquissime & decenter fuerat repositum . Elevato denique plumbeo sigillo accepit similiter idem

(33) *Altaria*. Legendum puto, *Altera die*.

(34) *Preposito*. De Præpositi dignitate, consule dicta in prima parte Commentar. Monasterii D. Prosp. pag. 81. & 255.

Digitized by Google

idem Episcopus sacratissime Virginis Caput in suis manibus & cum reverentia ipsum deosculans ostendit videre desiderantibus. sicque factum est ut per Dei gratiam certi facti de sua spe universi cum magno tripudio laudes in excelsis dedere Deo. Multi autem affines & longinqui per totum triennium ad visenda vel potius veneranda sanctorum Confessorum Prosperi videlicet & Venerii nec non sancte Jocunde Virginis corpora concurrentes per longa terrarum spatia hoc ipsum divulgarunt. Transactis igitur tribus vel quattuor annis ex quo hec fieri ceperant predictus Abbas verens ne tantum thesaurum aliis recondendum se obeunte quod fieri poterat reservaret cogitare in semetipso cepit qualiter vel cum quibus ipsas pretiosissimas margaritas ut decet recondere valeret. Cumque diu anxians hec animo revolveret nutu ut credimus divino accidit ut pro tractandis aliis negotiis sepe fatum adiret Pontificem (35) cuique inter alias sermocinationes hec que exinde corde tenebat sicuti patri & domino secrete aperuit obnixeque eum rogare cepit ut ei exinde salubre consciliium tribueret. Accepto autem ab eo congruenti conscilio post paucos dies paucis arbitris cum tribus tantum suis amicissimis fidelibus Archipresbitero videlicet Guilielmo & duobus laicis navim ascendens (36) perrexit Ravennam. Quia vero ut dicit beatus Apostolus diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. secunda die postquam Abbas Ravennam ad-

(35) *Pontificem*. nempe Alberium, Regiens. Antistitem.

(36) *Navim ascendens*. Per Padum probabiliter ad Mare Adriaticum advectus.

Digitized by Google

adventaverat ante ostium domus in qua ipse descenderat advecta est navis (37) in qua dominus Episcopus venerat: quod Abbas ut vidit magno gestiens gaudio ad eum properavit & in Curia domini Moysi (38) Archiepiscopi simul cum eo sedentem reperit. a quibus benigne susceptus cum omni humilitate eorum benignitatem & paternitatem expetiit quatenus Ecclesiam beati Confessoris Prosperi simul cum comprovincialibus Episcopis consecrarent (39) & ut dignum erat ejus gloriosissimum Corpus diligentissime reconderent. Quas preces dominus Moyses serenissimus (40) Archiepiscopus gratan-

(37) *Advecta est Navis*. Ravenna antiquitus sita visebatur in litore Maris; nunc autem tribus circiter milliaribus ab ora distat.

(38) *Moysi Archiepiscopi*. Mos erat antiquitus ad Reliquiarum translationem metropolitani consensum requirere; quin & Synodi, ac Principis, ut pluribus probat Mabillonius noster sec. IV. Benedict. To. V. pag. m. 280. De hoc autem Archiepiscopo sufficiat referre quæ de eo habentur apud Ughellum; *Erat Moyses, Vercellensis, Vir longe doctissimus, nullusque fuit, qui post beatum Petrum Chrysologum, ac Leocadium præ eo fœcundiorem famam tulerit probitatis. Siquidem studio pietatis incensus Ecclesiam Ravennatem, quam pene labefactatam a suis Antecessoribus acceperat, in pristinum dignitatis gradum restituit; centum enim auri libras expendit, ut oppignerata bona ecclesiastica recuperaret. mærentibus cunctis decessit Anno* 1154. *Kal. Nov.* Electus vero fuerat Anno 1144.

(39) *Consecrarent*. Ecclesiam D. Prosperi Monachorum tunc fuisse consecratam ut hic legitur, dubium non est. Verum ex laminis, quæ inibi ad rei veritatem perennandam repositæ fuerunt (de quibus in fine primæ, & secundæ partis Commentariorum nostrorum mentionem fecimus) trium tantummodo Altarium per ipsum Archiepiscopum Moysen una cum Lanfranco Parmensi, & Gregorio Adriensi Episcopis consecrationis memoria habetur.

(40) *Serenissimus Archiepiscopus*. Titulum *Serenissimi* sibi certe non arrogasse tam profundæ humilitatis Præsulem credendum est,

Digitized by Google

tanter ſuſcipiens quamvis ſe indignum omnimodis ad tam glorioſiſſimi Confeſſoris tamque precipui Domini Eccleſiarum Doctoris oſſa pertractanda aſſereret . tamen conſcilium ſe initurum cum eodem Epiſcopo & ſue Eccleſie Clericis compromiſit . Inter hec Achilles Reginus Archidiaconus ſupervenit & eidem conſcilio interfuit . Communicato itaque conſcilio deliberaverunt hanc conſecrationem in Kalendis Junii eſſe (41) reſervandam . Accepta denique redeundi licentia Abbas cum ſuis letabundus domum miſſis nunciis ubicumque fuerant fratribus ſuis & cunctis Eccleſie ſuis fidelibus ſignificavit eis ut ſecundum ſuum poſſe honorifice convenirent in termino conſtituto ad repoſitionem Sanctorum Corporum & dedicatione Eccleſie . Quo audito omnes cum exultatione & gaudio honeſtiſſime ad hanc videndam immo celebrandam ſacroſanctam ſolempnitatem undique convenerunt . Conſecrata eſt itaque ipſa venerabilis Eccleſia ad honorem Dei & glorioſi Confeſſoris Chriſti Proſperi aliorumque Sanctorum in ea requieſcentium a domino venerabiliſſimo Moyſe Archiepiſcopo & ab Alberio Regino Epiſcopo & a Domino Lanfranco Parmenſi & a Gregorio (42) Adrianenſi Epiſcopis . Glorioſiſſimum vero

eſt, ſed ei honoris cauſa a Scriptore noſtro tributum ; adeo ut, *inſolens admodum fuiſſet hic loquendi modus, quo aliqui Præſules ſerenitatis titulum ſibi uſurparent, quem Imperatores & Reges ſat habuerant ſibi tribuiſſe*, ait Mabillonius De re dipl. l. 2. c. 6. n. 4.

(41) *In Kalendis Junii* . lege *Januarii* , ea namque die peractam fuiſſe Eccleſiæ, ac Altarium conſecrationem ſuademur ; ut ex laminis plumbeis inibi poſitis.

(42) *Gregorio Adrianenſi*. Quantum a veritate aberraverit Jo: Bapt.

vero Corpus sanctissimi Confessoris Prosperi cum maxima diligentia reconditum est in eodem locello in quo repertum fuerat ubi nunc desuper ut ante sacra peraguntur misteria . & ejus venerandum Altare consecratum a supradicto Domino glorioso Ravennati Archiepiscopo & a Domino Albero Regino Episcopo & ab Amizone ejusdem loci Abbate cum Achille Archidiacono multisque Monachis ac clericis & fidelibus Laicis . Posita est etiam ibi & lamina plumbea in qua scripta sunt omnia (43) eidem

Bapt. Pigna, in eo quod scripserit, Vitalem Adriæ Episcopum honore Episcopatus spoliatum, eo quod Victoris Antipapæ partibus adhæserit, probant præter ea, quæ ab Ughello afferuntur, etiam quæ hic leguntur de Gregorio Adriensi Episcopo; Cum enim Gregorius anno 1148. Episcopatus dignitate frueretur, jam e vivis decesserat Vitalis, cujus sedes assignatur anno 1143. apud Ughell. To. II. col. 402. edit. Venetæ; Victoris vero Antipapæ schisma contra Alexandrum III. Pontificem, non nisi post annum 1159. ebulliit.

(43) *Scripta sunt omnia*. Quæ scripta fuerunt inlamina Plumbea, hæc sunt; *Anno ab incarnatione Domini Nostri Jesu Christi MCXLVIII. Indict. x. die Kal. Januarii Consecratum est hoc Altare, & repositum est ibi corpus Sancti Prosperi Episcopi, & Confessoris a Domino Moyse Archiepiscopo Ravennat. & ab Albero Episcopo Regino, & ab Episcopo Parmensi Lanfranco, & ab Episcopo Adrianen Gregorio, & ab Amizone Abbate ejusdem Monasterii, & multis aliis*. Duo autem hic observanda occurrunt; primum, consecrationem peractam Kal. Jan., non vero Junii, ut per errorem hic scribitur; si enim testis occulatus fuit Scriptor noster, ut ipse asserit, certe tardius, quæ vidit scriptis consignasse, credendus est, eaquepropter memoria excidisse. Secundum, Indictionem x. in hac lamina signatam sustineri non posse; talis namque indictio anno antecedenti 1147. conveniebat; quare laminarum Sculptorem hallucinatum fuisse, dubium non est; cum etenim eas scalpere, seu incidere non nisi anno antecedenti potuerit, quo currebat indict. x. hanc oscitanter retinuit. Hujus autem generis oscitantias in Scriptoribus hujus ævi non raro observare est.

Digitized by Google

eidem cognitioni congrua. Sanctissimi quoque Venerii Monachi (44) & heremite atque Presbiteri corpus reconditum est cum lamina ejusque Altare con-

(44) *Monachi & heremite*. Heremitam fuisse Venerium nostrum nullus dubito; monachum vero, si solitarium tantum intelligas (prout vocabuli ἐρημου sonat) certum item mihi est; Si vero alicui Monachorum instituto, vel Divi Benedicti Regulæ addictum velis, quamvis clara hic non habeamus argumenta, attamen non minimi ponderis rationibus id mihi admodum probabile fieri existimo. Cum etenim seculo septimo, quo floruit Venerius noster, Benedictinum Institutum ex D. D. Benedicti, & Columbani scitis compactum magnum incrementum acceperit, & toto ferme seculo perseveraverit, adeo ut teste Scriptore Vitæ Salcbergæ, *magna agmina Monachorum, ac sacrarum puellarum examina, non solum per agros, Villas, Vicosque, atque Castella, verum etiam per Eremi vastitatem ex regulis dumtaxat beatorum Patrum Benedicti, & Columbani pullulare capisset*, ut ex Mabillon. in Præf. To. I. Annal. Benedict. n. 24., ideo facile crediderim, eandem Regulam in multis sibi servandam proposuisse Venerium, ibique post ejus obitum Monasterium sub D. Benedicti legibus erectum fuisse, Monachosque per Lucium Episcopum Lunensem eidem loco assignatos. Ad hæc vero fulcienda magis, corroborandaque accedit, quod magni Pontificis Gregorii I. tempore Monasterium jam inibi extabat, ut ex epist. 48. lib. 1., qua Anthemio Subdiacono mandat, ut Monasterium in Palmaria Insula situm in aliquibus reformetur. Hic vero obiter observandum occurrit, Lucium Episcopum, qui ut legitur in ejusdem Beati Venerii Vita, Templum (& fortasse Monasterium etiam) extruxit, in quo clericos, seu monachos sacrorum pignorum custodes posuit, Lazari Episcopi non prædecessorem (ut placet Ughello) sed plures post annos successorem fuisse. Cum etenim constet, ex Scriptore nostro in Vita Beati Venerii (quam paullo post dabimus) *nonagesimum post annum* ab obitu S. Venerii per Lucium Lunensem Episcopum, Sancto Viro revelante, Ecclesiam ædificatam, non antecessorem, sed successorem Lazari fuisse fatendum est. Lazarus enim is fuit, qui pro ejiciendo Dracone a Lunensium finibus beatum Venerium præ humilitate reluctantem interpellavit. Nonaginta igitur ad minus annis Lazarum præivisse oportet Lucium.

P

Digitized by Google

consecratum a Domino Gregorio venerabili Adrianensi Episcopo. Sacratissime etiam Virginis Jocunde (45) venerandum Corpus collocatum est similiter cum lamina (46) scripta ipsiusque Altare consecratum a prestantissimo Domino Lanfranco Parmensi Episcopo. Acta sunt hec omnia per Dei gratiam presentibus supradictis Episcopis. Abbatibus. etiam quamplurimis Archipresbiteris & Prepositis diversorumque ordinum clericis populis quoque diversarum terrarum innumeris Anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo quadragesimo octavo die Kalendarum Juniarum (47) tempore Domini Eugenii tertii (48) Pape venerandi. & Con-

(45) *Jocunde*. Vide quæ diximus in secunda parte Commentar., pag. 72.

(46) *Lamina scripta* In Lamina B. Venerii, hæc legebantur; *Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi MCXLVIII. Indict. x Hoc Altare consecratum est in honorem B. Venerii a Domino Moyse Ravennat. Archiepiscopo & ab Albero Regino Episcopo & ab Amizone ejusdem Monasterii Abbate & aliis multis*. Laminæ vero, pro attestatione consecrationis Altaris B. Jocundæ, tenor erat; *Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi MCXLVIII. indict. x. Hoc Altare consecratum est in honore B. Jocunde a D. Moyse Ravennat. Archiepiscopo & a Lanfranco Parmensi Episcopo & ab Amizone Abbate*.

(47) *Kalendarum Juniarum*. Consule notata supra n. 41.

(48) *Eugenii III. Papa*. Summus hic Pontifex fuit ex Ordine Divi nostri Benedicti, Abbas Monasterii SS. Vincentii & Anastasii extra Romam, ac Divi Bernardi Clarevallensis alumnus, qui ob insignem vitæ sanctitatem, prudentiam, ac in rebus gerendis, seu gravioribus negotiis obeundis dexteritatem, præter expectationem ac contra praxim ex Synodi decreto firmatam Anno 769. sub Stephano III. scilicet de summis Pontificibus ex Cardinalium cætu eligendis, in Pontificem maximum assumptus fuit Anno 1145. vixitque in Pontificatu annos octo, menses quatuor, dies decem. Quan-

Digitized by Google

Conradi (49) Imperatoris Romani. Regnante Domino nostro Jesu Christo qui cum eodem (50) & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus per infinita seculorum secula. Amen.

De inventione igitur sacratissimi Corporis beatissimi videlicet Prosperi sed & Sanctorum Venerii & Jocunde gloriosorum Corporum seu & de reverenda

Quanta vero vitæ puritate refulserit, innuunt omnes qui de eo antiquissimi Auctores scripserunt; quos inter, liceat mihi præ omnibus (in nostri Ordinis, ejusdemque Pontificis honorem) Ernaldi Bonevallensis Abbatis verba referre; *Celebrato* inquit *Rhemis Concilio, Claram Vallem humiliter visitat* (Eugenius nempe) *& gloriam pontificatus Romani pauperum præsentat aspectibus. Mirabantur omnes in tanta altitudine humilitatem immobilem, & in tam excellenti culmine propositi sancti permanere virtutem; ut altitudine sociata humilitas pro officio exterius splendeat, & pro virtute nequaquam interius inanescat. Adhærebat carni ejus lanea tunica, diebus, & noctibus cucullo vestitus: sic ibat, sic cubabat, intus monachi habitum retinens, extra, se Pontificem & vestibus & moribus exhibebat;* [redacted] Rem *difficilem agens diversarum in uno homine proprietates exprimens personarum. Segmenta circumferebantur pulvinaria, lectus pallio opertus, cortina ambiebatur purpurea, sed si revolveres operimenta, invenires superjectis laneis complosa stamina, & paleas conglobatas. Homo in facie, Deus videt in corde. Ipse vero bona coram Deo & hominibus providebat. Alloquitur fratres non sine lacrymis miscens sermonibus avulsa a corde suspiria; hortatur & consolatur; & se inter eos Fratrem & socium, non Dominum exhibet, vel magistrum.* Hæc Ernald. l. 2. vitæ S. Bernardi cap. 8. Post mortem vero miraculis claruisse Scriptores testantur.

(49) *Conradus Imper.* Lothario Imperatore defuncto, Conradus Henrici jam Imperatoris sororius creatus est Romanorum Rex Anno 1137. dictusque est Imperator, quamvis imperialem coronam nusquam receperit, sicuti & subsequentes Germaniæ Reges, & Longobardiæ, qui statim ab electione in Reges, dicebantur Romanorum Reges & Imperatores designati. Vixit autem Conradus ad annum usque 1152.

(50) *Cum eodem.* lege *Cum Deo Patre.*

Digitized by Google

da repositione ipsorum sive etiam de consecratione ejusdem Ecclesie tanta dixisse sufficiat. Nunc vero de miraculis que per beatissimum Confessorem suum Prosperum Dominus eo tempore operari sit dignatus pauca huic opusculo inseramus. Dicit enim Scriptura divina (51) quia secretum Regis occultare gloriosum est. miracula autem Domini Salvatoris que per suos fideles operari dignatur cunctis audire cupientibus notificare valde est laudabile.

Igitur nos humiles & nullo scientie freti acumine ad gloriam & honorem tanti Confessoris miraculum laude dignum & memorie tradendum quod Dominus per eundem Confessorem suum patrare dignatus est vestris auribus cognoscendum tradere cupimus. Eo namque die quo sanctum ipsius Mausolium repertum est quidam nobilis miles ejusdem Civitatis recordatus diuturni & longissimi doloris cujusdam nobilis matrone conjugis videlicet Ariberti de Castro (52) Bibianello misit statim ad eam Armigerum suum mandans consciliando ut cum grandi fiducia se ipsam voveret beatissimo Confessori Prospero. cujus sacratissimum Tumulum ipsa die fuerat repertum.. sciens pro certo & cognoscens quia sta-

(51) *Scriptura divina*. Tob. cap. 13.

(52) *De Castro Bibianello*. Castrum hoc *Bebianellum* dictum, de quo non semel mentio apud Domnizonem, a proximo *Bebiani* agro, nomine fortasse mutuato, supra collem erectum, decimo circiter a Regio lapide distat. A Comitissa Mathilde una cum tribus viciniori bus Castris, vulgariter nuncupatis *Le quattro Castella* primitus excitatum, non semel deinde direptum, restauratumque. nobile adhuc extat monumentum, quod ad ætatem usque nostram Marchiones Canusinos jure Feudi possidere vidimus.

Digitized by Google

ſtatim Dominus ejus interceſſionibus conplacatus il-lius dolori finem imponi juberet. Quod illa audiens toto cordis affectu omnique mentis adniſu converſa ad preces ſic infit: o glorioſiſſime Confeſſor Chriſti Proſper o ſanctiſſime & reverentiſſime Pater qui tuos conſolari ſolitus es Fideles tu mihi miſelle quamvis indigne maximo poſita in dolore tua prece ſuccurre. & ſi vera ſunt ea que de tuo ſacratiſſimo tumulo mihi relata ſunt. & ſi vere in ipſo tua ſacratiſſima oſſa repoſita continentur nunc ego miſerima nimio dolore fatigata divinum per tuas ſacratiſſimas orationes continuo experiar auxilium. Mox ſine mora divina ſuffragante clementia per ipſius Confeſſoris ſuffragia eadem mulier cadaverulum ſuo corpore per ſex menſium curriculum tanquam in ſepulcro poſitum & majori jam ex parte fetidum & reſolutum enixa & ab omni eſt dolore liberata. que poſt non multos dies perfecte ſanitati reſtituta cum quamplurimis honeſtis viris ac mulieribus ad eandem Eccleſiam veniens Deum & eundem beatum Confeſſorem Proſperum laudans & glorificans per ſemetipſam nobis hec omnia retexuit.

Ad laudem itaque & gloriam tanti Confeſſoris viſionem perpulcram de ipſius Sarcophago Civibus oſtenſam & pluribus patefactam memorie tradendam ratum fore duximus. Erat namque in eadem Civitate Vir quidam familia & opibus locuplex Ubaldus (53) Palere vocatus ſcientia & honeſtate inter ſuos con-

(53) *Ubaldus Palere*. Sic legitur in noſtro Codice. In impreſſis vero italica lingua S. Proſperi miraculis, legendum editores putaverunt *de Palude*, quæ nobilis familia eſt, & antiquiſſima.

concives non mediocriter conspicuus. cui nocte eadem que diem future aperitionis ipsius Tumuli antecedebat divinitus ut estimamus ostensum est prelibatum Mausoleum favo mellis magnissimo admodum pretiosissimo atque instar nivis candidissimo repletum. De qua visione ut asseruit cum simul astantibus secumque eandem visionem cernentibus valde ammirans & Deum laudans letabatur. unde & nos letari merito condecet quia indubitanter credere debemus non incongrue hanc visionem a Domino huic fuisse revelatam. Sanctus est enim ille cujus sacra ossa inibi fuerant clausa dum in hoc seculo vitales carperet auras acumine scientie refertus sanctarumque Scripturarum doctrinis adplene eruditus ita per omnes occidentalium partium Ecclesias mellifluo ac dulcissimo & facundissimo sermone doctrinaque refulsit ut merito de eo dicere valeamus de ore prudentis procedit mel & favus distillans labia ejus. Vere enim ejus sacra doctrina omni dulcedine & suavitate constat repleta. Ipsum ergo precemur ut Dominum & maximum Patronum nostrum ut sedula sua prece nos commendet Domino nostro Jesu Christo quatenus ejus doctrinis illuminati & sacris ejus patrociniis ubique protecti ad superna polorum regna pervenire mereamur eterna. Amen.

Ex

Digitized by Google

Ex eodem Cod. MS.
pag. CXXXIV.

SERMO DE TRANSLATIONE CORPORIS

SANCTI PROSPERI

CAPUT QUARTUM.



Acer nobis dilectissimi venerande festivitatis dies quo Sanctus Prosper ex suo corporis ergastulo migravit in Celum semper victurus castis moribus atque pie devotionis insignibus annue recolendus est & miropere celebrandus. Ac deinde Karissimi Fratres nihilominus illum diem inter festivos solempnem agere celebremque venerari nos convenit quo pretiosi corporis sui reliquie ab eodem loco quo per multa (1) annorum curricula Deo gubernante servate fuerant ad locum in quo nunc ipso ordinante sublate decenterque recondite continuis venerantur officiis.

Comperiat itaque sanctitatis vestre fraternitas quia ex

(1) *Per multa annorum curricula*. Consule quæ adnotavimus n. 7. & 8. Capitis III.

Digitized by Google

ex tempore Reverendi Pape (2) Ylari secundi videlicet (3) Romane Ecclesie post beatum Leonem Pontificis Marciano (4) adhuc Romanorum Imperatore cui Leo Cesar successerat superstite . Quorum temporibus Sanctus Prosper verusque Dei cultor seculi nostri lucem sine querela per quedam temporum curricula in hac Regiensi Urbe conversatus superna habitatione commutavit . usque ad tempus Luitprandi (5) christianissimi Longobardorum Regis juxta competentem & condignam tanti Pontificis reverentiam locus ille ubi sacre ejus corporis reliquie per multa annorum spacia (6) Dei ordinante providentia quieverant licet ibidem per que-

(2) *Pape Ylari*. Sanctus Hilarus ex Diacono post septem dierum a D. Leonis morte interpontificium, eidem in Petri sede successit, anno videlicet 461. die 12. Novembris; ad superosque evolavit die 21. Febr. anno, non 467. ut visum est Papebrochio in conatu chronologico-historico ad catalogum Pontif. Romanor., sed anno 468. ut probat Franciscus Pagius in Breviar. Pontif. Rom. To. I. pag. 163.

(3) *Secundi videlicet*. Legendum est *Primi*. Hilarus namque Pontifex hujus nominis primus fuit, & unicus, sicuti post B. Leonem nullo intermedio etiam, primus.

(4) *Marciano adhuc Romanorum Imperatore*. Manifesta hallucinatio; Marcianus etenim Imperii habenas suscepit die 24. Augusti An. 450. rexitque usque ad Februarii initium Anni 457., quo Leo magnus dictus cum Leone Zenonis filio a die 7. Februarii ejusdem anni eas arripuit, retinuitque ad annum usque 474. quo uterque decessit. Hilari igitur Pontificis ætate Marcianus Imperator non floruit.

(5) *Luitprandi*. Luitprandus seu Liutprandus, Ansprandi Langobardorum Regis filius, regnavit in Italia ab Anno 712. ad annum usque 744.

(6) *Per multa annorum spacia*. Ab obitu Marciani ad initium Liutprandi Regis sunt Anni 255.

Digitized by Google

quedam tempora crebra fierent signa ac diversa interceffu ipsius monstrarentur prodigia multique debiles recepta medela ad propria (7) generaliter tamen ab hujus Civitatis populis in propatulo minime frequentabatur.

Fuerat namque prefata Basilica non multum eminus (8) a Civitate ista constructa & a beato Prospero ut supra dictum est in honore Sancti Apolenaris (9) Deo dicata. Sed Emiliensis (10) Civitas barbarice gentis vario bellorum eventu sepius lacessita (11) acriterque stimulata. ob hoc officiorum mini-

(7) *Ad propria.* Subintellige *Remearent.*

(8) *Non multum eminus a Civitate.* Beati Apollinaris Ecclesiam a D. Prospero ibi primitus erectam fama est, ubi post multa secula nobile excitatum est Templum ipsi Apollinari, & magno Augustino dicatum, simulque & Monasterium, quod modo Augustinianæ familiæ Religiosi incolunt. Pancirolus attamen ædificatum primitus putat, ubi postea Templum in D. Prosperi honorem erectum fuit.

(9) *Sancti Apolenaris.* Consule notata n. 42. superioris Capitis.

(10) *Emiliensis Civitas.* Vide notata n. 20. Capitis Primi.

(11) *Sepius lacessita.* A medietate seculi quinti ad initium usque octavi quot calamitates bellorum causa perpessa sit regio nostra, satis constat ex Historicorum Annalibus. Occupata siquidem Italia (ut præcipua tantum compendio hic referam) ab Odoacre Herulorum Rege, quotquot ei restiterunt Urbes, solo æquatas fuisse scribunt. Urbem tamen nostram Brenonis Pannoniæ Ducis beneficentia tunc fuisse servatam, apud nostros traditio est. Cum vero postea ad Barbaros Italia pellendos missus a Justiniano Orientis Imperatore Bellissarius fuerit, ex militum deprædationibus calamitates adauctæ sunt; idque eo magis, quod recedente Bellissario maximam denuo Gothi Italiæ partem occupantes, universam depopulati sunt regionem. Porro a Narsete, ad ulciscendam quandam (ut creditur) illatam sibi ab Imperatrice injuriam, Langobardis in Italiam invitatis, ad hosque iterum depellendos Longino Præfecto ab Imperatore cum exercitu misso, hic in perduellio-

Q nis

Digitized by Google

ministri in loco eodem prout digne competebat continuo tempore solemniter excubare non valebant. Quia vero juxta providentiam Domini Salvatoris qui semper mirabiliter operatur in servis suis juxta tanti Viri decentiam locus ille Christianorum frequentia raro dignis venerabatur obsequiis. quod pridem multis occultabatur evidenter Christianis po-

pu-

nis crimen lapsus, Italiæ tyrannidem affectavit, sibique coronam imponere ausus est, Barbaris jam Rege carentibus, cui Peridius dux prope Mediolanum resistens, victus est, & victoris iram expertus. Longino vero non multo post a Florisio Pannoniæ Principe subacto, vices repensæ sunt. Interim Regium nostrum, & aliæ Urbes Florisii prius deditæ imperio, & postea a Peridio, devicto Florisio, recuperatæ, durum passæ sunt jugum. Ab Romanis denique vel ad ulciscendum, vel ad recuperandum antiquum jus, Italiam ingressis, superato, ac cæso Peridio, in ditionem Imperatoris redactæ sunt Civitates. Cum vero istis regendis missus fuerit Ravennam Exarchus, ipsum inter, Regesque Langobardos, Aginulphum, & Rotharium renovata sunt bella, atque ita pugnatum, ut ad Schultennam fluvium, superato Exarcho, Urbs nostra cum aliis pluribus sub Langobardorum regibus vixerit. Verum, non diu perduravit imperium; eorum etenim intoleranda tyrannide oppressæ Urbes, Stephani II. Rom. Pontificis opem efflagitare decreverunt. Nec frustra; nam Pontificis suasu piissimus Francorum Rex Pipinus numerosa militum copia Alpes superans, Italiamque ingressus, devicto Aistulpho Langobardorum Rege, ad reddenda usurpata eum compulit, quæ, statim Romanæ Ecclesiæ (cui & Regium primo paruisse putamus) liberalissime donavit. Hæc sunt, ut plura alia brevitatis caussa prætermeam, quibus eruditissimus Pancirolus noster in Historia Regiens. ex Scriptoribus synchronis, certos nos reddit earum calamitatum, ac vastationum, quas pleræque Italiæ Urbes, (nostraque præsertim, & tota regio) passæ sunt. Quæ quidem haud difficulter sibi suadere possunt, qui & modo, si non eadem, ea certe patiuntur, unde de illis ideam efformare sibi possint. Neque enim semper valet ad victoriosorum, victorumque militum compescendam licentiam, ipsorum, quamvis religiosorum Ducum, auctoritas.

Digitized by Google

pulis ipse notum imposterum facere procuravit. Eo namque tempore in Civitate predicta extitit quidam Presul Thomas (12) nomine Vir sanctus & in christianitatis religione perspicuus. viduis & orphanis omnibusque simul pauperibus misericorditer obtemperans qui juxta Psalmistam in lege Domini sacrisque orationibus jugiter meditabatur. Cumque post preces in Templo Episcopii ejusdem more solito fusas cum glebam sui corporis sopori dedisset. beatus Prosper stola candida indutus pulcraque canicie venerandus per visum apparuit eumque terribiliter ammonuit quatenus angustam Basilicam illam superius jam prelibatam ubi corpus ipsius olim humatum fuerat juxta Christi tantique Viri decentiam omni occasione postposita in proceritatis magnitudinem constructum exaltaret pulchroque scemate decoraret. intra cujus Tribunal (13) in loco videlicet noviter constructo sacras Corporis ipsius reliquias ex priori quidem tumulo sublatas cum omni honestate ocius condere non diferret. Quo taliter amonito visio ipsa pertransiit. Præfatus itaque Episcopus tanti Viri

(12) *Thomas nomine*. Hujus beatissimi Viri Corpus etiamnum apud Nos extat, quod antiquissimo cultu sub Ara maxima veneramur. De hoc locuti jam sumus in 2. parte Comment. Monast. D. Prosp. pag. 69.

(13) *Tribunal*. In Dominici Macri Hierolex. hæc ab ejus fratre adnotantur in V. Tribuna: *Tribuna, hemicyclus muralis, qua in fine Presbyterii in Ecclesia solet terminari. Dicitur autem Tribuna, quasi Tribunal, quia ibi Tribunal sive pontificalis cathedra collocabatur, ut in Templo sanctæ Cæciliæ Transtyberinæ regionis ex lapide adhuc extat, ac in aliis antiquis Romæ Ecclesiis adhuc videtur: & Alex. Papa VII. in Tribuna Basilicæ Vaticanæ Cathedram Principis Apostolorum magnifice collocavit*; & adhuc extat magnifice ornata.

Digitized by Google


ri ammonicione sollicitatus illico surrexit convocatisque omnibus Ecclesie sue Sacerdotibus cum clero simul & populo ad Basilicam sibi precognitam perrexerunt. provida consideracione vicissim pertractantes qualiter ibidem juxta honestatis decentiam sicut a beato Prospero ammonitus fuerat speciosa ibidem & pergrandis Christi favente clementia Basilica construeretur. Et quia diligentibus Domini ejusque precepta explentibus omnia cooperantur in bonum quod ammonitus fuerat ipse Presul ad operis effectum sine mora perducere procuravit.

Post hec denique predictus Thomas reverendus Episcopus tali revelacione succensus tumulo jam reperto ut dictum est ubi Corpus beati Prosperi a sanctis & religiosis Viris bene olim positus fuerat. curis labentium rerum postpositis mox in eodem loco artificibus atque cementariis undique collectis perspicuam in memoriam & honorem ipsius Basilicam edificare aggressus est. quam Christi suffragante gracia & beato Prospero interveniente certatim construentes non quidem longo temporis intervallo percurrente ad perfectionis summam deduxerunt. Quibus Deo volente rite peractis idem Episcopus omnibus Ecclesiæ sue Sacerdotibus cum Levitis & clericorum collegio conglobatis prelibatum Sancti Prosperi tumulum effodientes lapidem desuper ammoverunt. Unde tanta suavitatis tantaque odoris fragrantia profluxit naresque omnium qui aderant & pectora gratanter infudit ac si diversa aromatum odoramenta vel balsami rivulus per eandem Basilicam decurreret. Levantes autem inde redolentes Cor-

po-

Digitized by Google

poris ipſius reliquias cum ſumma eas diligentia in locello pulchro noviterque conſtructo ubi nunc deſuper ſacra peraguntur myſteria cum laudibus atque letaniarum melodiis reverenter condiderunt. Quanta quoque clariſſimi Fratres die illa meritis ibidem beati Proſperi promerentibus Domini claruerunt magnalia vix ſtilo percurrente comprehendi ad liquidum poſſunt. Chriſto autem per ſervum ſuum mirabiliter operante quibuſdam cecis lumen indeptum eſt. ſurdis auditus redditus. paralitici & claudi ad ſoſpitatis gratiam reformati ſunt. diverſi etiam infirmi ſanitate percepta letanter ad propria redierunt.



Ex


EX his, quæ in notis nostris observatione digna censuimus, satis, ni fallor, quilibet emunctæ naris sibi persuadebit, ineptam admodum Scriptoris fuisse industriam, in eo scilicet, ut Divi Prosperi Episcopi nostri acta Aquitano Prospero accomodaret, & hunc pro nostro, nostrumque pro eo ipso venditaret. Certe ab assensu nobis præstando neminem removere deberet inveterata erroris persuasio; quæ idcirco perduravit tamdiu, quod ad critices examen non nisi posterioribus seculis fuerit revocata. Doctissimo Jacobo *Sirmundo Soc.* Jesu *eruditione celeberrimo debetur laus, qui omnium fortasse primus, antiquam suasionem solidissimis argumentis in fabellas, figmentaque rejecit. Id, & ego, solius veritatis amore, doctissimorum virorum semitam persecutus, eo consilio perfeci, ne error ex piæ credulitatis & ignorantiæ fonte exortus, pervagatusque, altiores & apud nostros (eruditos saltem) radices figeret. Neque enim consilium hoc jure quispiam improbare poterit; cum neque Dei Omnipotentis gloriæ, neque Episcopi nostri sanctitati, neque tandem dilectissimæ Patriæ splendori detrahat; dum enim Prosperum a Prospero Sanctum a Sancto distinguimus, duos gratia sua Deum Opt. Max. efformasse Divos prædicamus; Prosperum vero nostrum, sicuti heroicæ pietatis virum vera religione confitemur, sic Cives nostros, quamvis non Aquitanum, illustrem tamen ejusdem nominis Antistitem sanctum, & Doctorem habuisse non dubitamus. Plura dicere possem ad confutandum eos, qui invidiam quærere in me conantur, veluti in Patriæ dedecus reticeri quæ poterant, promoventem; At, talia obloquentibus ea hic reponere sufficiat, quæ*

per

per doctissimum nostrum olim S. R. E. Cardinalem de Aguirre Conterraneis suis indoctis reposita fuisse compe-rimus, Nobis Patriæ amor cum ipso lacte haustus, non magis cordi est, aut esse debet, quam studium veritatis, cujus leges vetant, dubia pro certis, aut spuria pro germanis obtrudere, aut venditare; *Insipientem quamvis me sancte fatear*, Insipienti tamen sapientiam inquirenti, sapientia imputabitur, *ait S. Justinus martyr. Ep. ad Zen. & Ser.*

To. I. Conc. Hisp. pag. 154.

Ad Actorum istorum complementum addere hic placet ejusdem D. Prosperi vitam versibus compendiose exaratam, quæ in eodem Codice MS. habetur; nec non Officium, quod in ejusdem festivitate Monachi nostri duobus ferme ab hinc seculis canebant, prout extat in Archivo nostro asservatum, & apud aliquos etiam impressum.



VI-

VITA
SANCTI PROSPERI

Ex eodem Cod. MS. in fine.



Egum quidem consilia celare est prudentia
Sed Dei mirabilia est tacere ignavia.
Dixit olim sanctissimus & Propheta magnificus
Mirabilis & Dominus in suis Sanctis omnibus.
Sicut narrare cupio nunc de beato Prospero
Qui pro Christi servicio relicto patrimonio
Romano calle sedulus iter carpens intrepidus
Ibi namque quantocius eum deduxit Dominus
Immenso Regi gratias refert ille non modicas
Et per omnes Ecclesias maximas fudit lacrimas.
O quam inscrutabilia manent Christi consilia
Qui sic reddens per omnia juxta cujusque opera.
Nam noctis in silentio de summo Celi spacio
Emmissa vox cum jubilo vocat Leonem lectulo
Dicens ut tollat Prosperum virum tam beatissimum
Consecretque Episcopum dirigatque Regium
Qui Leo surgens protinus jussa adimplens cicius
Fili perge quantocius quo te deducit Dominus.

Dein

Dein venit Emiliam Urbem ſatis egregiam . .
Levatus eſt in Cathedram a Chriſto ſibi traditam
Ibi namque inſignia donante Chriſti gratia . . . . .
Fecit multa miracula que nobis ſunt incognita . .
Jam Orphanorum nomina & viduarum agmina
Pro Chriſti reverentia bene ſciebat omnia.
O quot & quanta millia nudis donavit tegmina
Fruens vita angelica nobis oſtendens celica
Non longe eſt Eccleſia a Civitate poſita . . . . . .
Ad quam per multa tempora orationis gratia . . .
Ante diurna lumina pergebat cum leticia
Et ante luce redita remeabat ad propria. . . . . . .
Sed annorum curricula viginti duo tranſita . . . . .
Complens dira certamina ab hoſte ſibi tradita . .
Indutus ſtolam candidam victor tendit ad patriam
Et Chriſto reddens animam ab eo ſibi preſtitam
Cujus membra ſanctiſſima velud thus redolentia
Feruntur in Baſilica quam preelegit antea
Ante precedunt organa Angelorum meliflua
Qui voce eum dulciſona eum levant in ethera.
Poſt hec ſecuntnr agmina clericorum dicentia
O gemma fulgentiſſima Deoque acceptiſſima
Succurre nobis omnibus ne Lupus perdat impius
Et devoret ex ovibus qui te ſecuntur eminus
Quos ſubſequitur populus & ſic ſtant omnes cominus
Seneſque cum infantibus......... una lugentibus
Altaris juxta menia fodiunt cum meſticia
Illic membra ſanctiſſima deponunt cum triſticia
O quanta que innumera infirmorum collegia
Cecis redduntnr lumina leproſis cutis candida
Et aridorum agmina . . . . cum leticia

Digitized by Google

. . . .
. . . .
. . . .
. . . .

Humatus ubi jaceo perge cum tuo populo
Cognito in eo loculo & in Altari poſito
Edifica ibi Eccleſiam cum Altare magnificam
Ut ibi Deo hoſtiam ſacram facias pacificam.

. . . .
. . . .

Qui ſurgens cum leticia narrat Civibus omnia

. . . .
. . . .

Cum ſumma reverentia recipiunt omnes monita
Que a beato Proſpero ſunt dicta cum imperio
Omnes corde & animo Deum laudant cum jubilo
Ad locum vero veniunt Eccleſiamque ſtatuunt
Sacrum tumulum fodiunt almaque membra inveniunt
Unde tanta fragrantia ſuavitatis habentia
Quaſi balſami copia cuncta rigaret menia
Celebrata ſolempnia cum ingenti leticia
Cum ſumma reverentia ibi conſecrant omnia
Quanta ibidem varia claruerunt miracula
Vix ſtilus & avricula capere valent omnia.

OFFI-

Digitized by Google

OFFICIUM IN FESTO SANCTI PROSPERI EPISCOPI ET CONFESSORIS.

IN PRIMIS VESP.



Antiphona.

IN Urbe quam dicunt. *cum reliqu. de Laudib. Ps.* Dixit Dominus *cum reliqu. de Dom.*

Capitulum. Ecce Sacerdos magnus.

Resp. br. Sancte Prosper.

℣. Ora pro nobis S. Prosper.

℟. Ut digni efficiamur promissionib. Christi.

Himn. Ista dies.

Ad Magn. Ant.

Salva plebem presentem tibi commissam Sancte Prosper pie Pastor: neque sinas perdere greges quos reliquisti hic orphanos sed semper tuere numine tuo quos habens representandos regi tuo.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus qui es Sanctorum tuorum splendor mirabilis quique hodierna

 die

die beatum Prosperum Confessorem tuum atque Pontificem hoc in Templo quiescentem eterne beatitudinis gloria sublimasti concede propicius ut cujus merita veneramur in terris intercessionis ejus auxilio misericordiam tuam consequamur in Celis. Per Dom.

Ad Matut. Invitator.

Venite adoremus Dominum: in confessione beatissimi Pontificis Prosperi. *Ps. Venite exultemus.*

Himn. Ista dies.

In primo Noct.

Ant. Beatissimus Christi miles Prosper natione Yspanus nobilissimis ortus est natalibus. *Ps. Beatus vir.*

Ant. Sicut apice in summe nobilitatis polebat insignis mirabiliter erat ornatus moribus probis. *Ps. Quare fremuerunt.*

Ant. Cumque esset in laycali ordine positus pleniter sacris paginis fuit edoctus. *Ps. Cum invocarem.*

Ant. Relicta domo rebusque patrie ivit peregre eternam patriam querere. *Ps. Verba mea.*

Ant. Succinctis ergo lumbis freno castitatis moderabat stimulos carnis. *Ps. Domine Dominus noster.*

Ant. Viribus armatus divinis bellum sumpsit contra hostem invidum. *Ps. In Domino confido.*

℣. Amavit eum Dominus.

℟. Stolam glorie.

Lectio i.

SCire namque cupimus dilectissimi fratres caritatis vestre fraternitatem quare postquam Filius Dei carnem quam de Virgine sumpserat ad alta celorum potenter evexit. dum adhuc singule gentes per varios ydolorum cultus diabolo instigante bacarentur.

tur.

tur. Jam Spiritu ſancto celitus Apoſtolis miſſo quatenus eoſdem Celos faceret qui juſta propheticum dictum in omnem terram gloriam Dei ennarent. Ipſe futurorum preſcius gratia ſua preeunte ac miſericordia ſubſequente ſalutifera Pauli Apoſtoli viſitatione Yſpanie regionem fecit ſublimem.

℟. Diem ſacrum beatiſſimi Proſperi venerantes cum dignis laudibus recolamus; In quo ſolutus carne migravit ad Dominum.

℣. Cujus gratia mereamur obtinere veniam qui ad ejus convenimus diem ſolemnem. In quo.

Lectio ii.

SCilicet ut juxta propheticam in omnem terram exiret ſonus Apoſtolorum & in fines orbis terre verba eorum. Quam prefatus Apoſtolus Domino Jeſu Chriſto cuncta ſalubriter ordinante mox populis ibidem degentibus ut fidelis diſpenſator evangelica ſemina diffundere cepit.

℟. Iſte eſt vere yſraelita in quo non eſt inventus dolus; Quia Deus elegit eum in ſacerdotem ſibi.

℣. Dedit ei ſanctitatis ſtolam & conſtituit eum principem familie ſue. Quia Deus.

Lectio iii.

MUltis autem ſignis ac prodigiis in jam dicta regione per eundem Apoſtolum corruſcant infinite populorum caterve divine predicationis novitate ſuccenſe. variis demonum ſpurcitiis abrenuntiantibus fide Chriſti percepta ſacroque baptiſmate revocati matris Eccleſie cetui ſpiritualiter ſunt uniti.

℟. Juravit Dominus & non penitebit eum tu es ſa-

Digitized by Google

sacerdos in eternum Secundum ordinem Melchisedech.

℣. Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis. Secundum ordinem.

Lectio iv.

POst hec non multis jam preterlapsis temporum curriculis cum Deo placitum fuit cujus sapientia conditi sumus & providentia gubernamur. memor ipse misericordie sue que a seculo sunt. quodam astro mirabili luce persuso Prospero videlicet sanctissimo & illustri Viro ad reformandam nihilominus Christianitatis religionem iterum jam prelibatam Yspanie regionem clementer illustrare dignatus est.

℟. Felix tanti Viri meritum tanteque virtutis speculum. Qui datis seculi negotiis mercatus est vite eterne bravium.

℣. Cui vivere Christus fuit & mori lucrum. Qui datis. Gloria Patri. Qui datis.

In secundo Noct.

Ant. Erat enim facie angelicus sermone facundus habitu humilis animo prudentissimus. *Ps. Domine quis habitabit.*

Ant. Cumque isset peregre se nesciente sed Domino ducente Emiliam pervenit ubi grataner receptus est Episcopus. *Ps. Domine in virtute tua.*

Ant. Sancte Prosper qui in Cælis lætaris cum Angelis videndo faciem creatoris: Intercede pro nobis ut mereamur Domino reddere hostiam laudis. *Ps. Domini est terra.*

Ant. Almi Prosperi Pontificis munitos nos suffragiis

Digitized by Google

giis Celorum Rex Christus perpetuam ducat ad Patriam. *Ps. Cantate Domino.*

Ant. Sancte Prosper Confessor Domini preciose adesto nostris precibus pius ac propitius. *Ps. Dominus regnavit exultet.*

Ant. Sancte Prosper intercede pro nobis ut consortes glorie Sanctorum tecum effici mereamur. *Ps. Cantate.*

℣. Justum deduxit Dominus.

℟. Et ostendit illi.

Lectio v.

REvera sicut olim variis sideribus celum ornavit & vernantibus florum diversitatibus arva depinxit ita postmodum tempora festivis diebus videtur distinguere ac totius Mundi climata novo Sanctorum lumine mirabiliter decorare.

℟. Vir igitur venerabilis Prosper relicta domo cunctaque familia relictisque rebus omnibus: Solo corpore & spiritu secutus est auctorem vite Dominum.

℣. Cujus preceptis obediens obtinet centuplicatum premium. Solo Corpore.

Lectio vi.

NEc mirum cum ipse Christus sit lux vera que illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum. Cujus itaque luce beatus Prosper undique perfusus atque universa mox honestate preclarus velut Sol radians virtute sua jubar sanctitatis illius longe lateque spargebatur.

℟. Postposito ergo seculi desiderio nihil Mundi ambiens peregre profectus: Ivit seminare in spiritu.

℣. San-

Digitized by Google

℣. Sanctus itaque Prosper ne de carne meteret corruptionem de spiritu elegit metere vitam eternam. Ivit seminare.

Lectio vii.

TAndem vero idem Sanctissimus Prosper decursis Evangelistarum documentis ventum est ad locum ubi Christus inter cetera cuidam legis perito dixerat: Si vis perfectus esse vade vende omnia que habes & da pauperibus & habebis Thesaurum in Cœlo & veni sequere me.

℟. Vir ysraelita gaude coheres Christi: Intercede pro nobis.

℣. Ut precibus tuis a Deo veniam speremus supplices ad te confugimus. Intercede.

Lectio viii.

HÆc quidem audita precellentissimus Prosper Salvatoris nostri amonitione non jam tunc surdus Evangelii auditor illico omnem terrenarum rerum opulentiam cuncta gemarum auri simul & argenti pondera in alimoniam pauperum distribuit ut justitia ejus maneret in seculum seculi & cornu ejus exaltaretur in gloria eterna.

℟. Cumque ab yspania dulcis gleba Patrie exisset sacris literis instructus pervenit ad Emiliam: Ubi electus a populo ordinatus est Episcopus.

℣. Ad quem locum Dominus ejus ductor fuerat qui ibi eum sibi Episcopum elegerat. Ubi electus a Populo. Gloria Patri & Filio. Ubi electus a populo.

Ad Cantic. Ant.

Vir itaque Domini Prosper erigens se contra se omniaque Mundi prospera despiciens Christum tantum

tum

Digitized by Google

tum geſtavit in pectore ſecum. *Cant. Beatus vir.*

℣. Juſtus germinabit ſicut lilium.

℟. Et florebit in eternum ante Dominum.

Evangelium cum homilia ſua quere in Communi Doctorum.

℟. *nonum.* O beati viri Proſperi ſancta preconia o inextimabilis virtus in eo laude digna qui dum ſeculi pompam contempſit: æterne vite coniunctus eſt.

℣. Cui vivere Chriſtus fuit & mori lucrum. Æterne vite.

℟. *decimum.* Vicino tranſitu ſacrum ſumpſit viaticum diſpoſitis in pace omnibus: Feliciter migravit ad Dominum.

℣. Cujus venerabile Corpus dum dignis obſequiis ſepulture traderetur in Celo cum hymnis angelicis ejus ſancta Anima ponitur. Feliciter migravit ad Dominum.

℟. *undecimum.* Agmina ſacra Angelorum letamini pro concivi veſtro Proſpero: De quo gaudet Chriſti Eccleſia feliciter & exultat gaudenter.

℣. Vere mirabilis Deus qui aſſiduis beatum Proſperum miraculis corruſcare facit. De quo gaudet.

℟. *duodecimum.* Laudemus Dominum in beati antiſtitis Proſperi meritis precioſis ad ſepulcrum ejus egri veniunt: Et ſanantur.

℣. Ante cujus tumuli venerabile numen venientes languidi ejus ſancto interventu curantur devote. Et ſanantur. Gloria Patri. Et ſanantur.

Ad Laudes, & per Horas.

Ant. In Urbe quam dicunt Emiliam beatus Proſ-

Digitized by Google

per tenuit cathedram cujus pia doctrina adhuc floret Ecclesia. *Ps. Dominus regnavit decorem. cum rel.*

Ant. Hic fuit arma contra hereticorum jacula nec terruit eum mina tiranica armatus fide catholica.

Ant. Pervigil cura excubavit ovium ne lupus irrumperet earum domicilium.

Ant. Laus Dei ab ejus ore non recesserat incessanter omnia opera Domini benedixerat.

Ant. Dulcis pluma lectuli non ei sonnolentiam intulit. sed dura tellus post laborem blandum somnum attulit.

Capitulum. Ecce Sacerdos magnus.

℟. *br.* Justum deduxit Dominus.

Hymn. Carnem longis.

℣. Ora pro nobis &c.

℟. Ut digni &c.

Ad Bened. Ant. O beatum Prosperum gemma Sacerdotum in cujus obitu plebs universa tristatur. ordo Angelorum letatur. cetus Apostolorum jucundatur martyrum turba gloriatur. sors Confessorum concivem gratulatur. chorus Virginum exultans dat in excelsis gloriam Deo.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus. *ut sup. ad Vesp.*

Ad Tertiam. Capitul. Ecce Sacerdos magnus.

℣. Amavit eum.

Oratio. Omnipotens sempiterne. *ut sup.*

Ad Sextam. Capit. Non est inventus similis illi.

℣. Justum.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus da nobis beati Prosperi Confessoris tui atque Pontificis in presenti Ec-

Digitized by Google

Ecclesia quiescentis precibus adjuvari ut cujus festa recolimus ejus patrocinia sentiamus. Per Dominum.

Ad Nonam, Capit. Statuit illi Dominus testamentum sempiternum & dedit illi Sacerdotium magnum & beatificavit eum in gloria.

℣. Justus germinabit.

Oratio.

DEus qui nos beati Prosperi Confessoris tui atque Pontificis qui in presenti requiescit Ecclesia multimoda facis celebritate gaudere concede quesumus ut qui ejus gloriamur meritis protegamur auxiliis. Per Dominum.

In secundis Vesperis. Ant. In Urbe. *ut sup. cum rel.*

Ps. Dixit Dominus. *cum reliq. de uno Confessore.*

Capit. Ecce Sacerdos magnus.

℟. *br.* Amavit eum Dominus.

Hymn. Ista dies eximia.

℣. Ora pro nobis beate Prosper.

℟. Ut digni &c.

Ad Magnif. Ant. Hodie beatissimus Prosper ad cenam Regis Celorum invitatur. Hodie corona Paradisi gloriosissimo premio remuneratur. Hodie stola perpetue gratie coronatur. ne nos deserat orphanos suis precibus pia voce precemur ut salvet.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus. *& fit com. de sanctis martyribus* Joanne *&* *Paulo.*

Digitized by Google


IN DIE TRANSLAT. CORP. B. PROSPERI

Per B. Thomam Episcopum. 24 Novemb.

Omnia ut in die preter ea que sequuntur.

In primis Vesper.

Capitulum.



Lures facti sunt Sacerdotes secundum legem: iccirco quod morte prohiberentur permanere: Jesus autem eo quod maneat in eternum sempiternum habet Sacerdotium: unde salvare in perpetuum potest.

℟. *br.* Juravit Dominus & non penitebit eum. Tu es Sacerdos in eternum: secundum ordinem Melchisedech.

℣. Dixit Dominus Domino meo sede a dextris meis. Tu es Sacerdos. Gloria Patri. secundum ordinem.

Hymnus. Ista dies.

Ad Magnif. Ant. Salva plebem presentem tibi commissam Sancte Prosper pie Pastor: neque sinas perdere greges quos hic reliquisti orphanos. sed tuere munimine tuo quos habes representandos regi tuo.

Ora-

Digitized by Google

Oratio.

DEus qui ſepta gregis tui per Pontificum dogmata miſericorditer augere voluiſti: quique mirabiliter beatum Proſperum Pontificem tuum hoc in Templo quieſcentem ovibus tuis præeſſe voluiſti: plebem tuam queſumus continuis auge ſubſidiis & in hujus diei translatione tui repleas largitate beneficii. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Ad Matut. Invitat. Venite adoremus Dominum: In translatione Beati Pontificis Proſperi.

Hymn. Iſte Confeſſor.

Lectiones Nocturnorum deſumptæ ſunt ex Hiſt. Tranſlationis, quæ incipit: Sacer nobis dilectiſſimi, *ut ſupra cap. iv. nil addito aut immutato.*

Ad Laudes. Hymn. Jeſu Redemptor omnium.

Ad Benedict. Ant. Sancte Proſper qui in Celis letaris cum Angelis videndo faciem Creatoris intercede pro nobis ut in hac ſolemnitate tue annue translationis mereamur Domino reddere hoſtiam laudis.

Oratio ut ſupra. Deus qui ſepta.

Ad Tertiam, Capit. Plures facti ſunt. *Oratio ut ſup.*

Ad Sextam. Capit. Talis decebat ut nobis eſſet Pontifex Sanctus innocens impolutus ſegregatus a peccatoribus & excelſior celis factus.

℣. Juſtum deduxit.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus da nobis beati Proſperi confeſſoris tui atque Pontificis in preſenti Eccleſia quieſcentis meritis adjuvari: ut cujus tranſlationem recolimus patrocinia ſentiamus.

Ad

Ad Nonam. Capit. Labia Sacerdotis custodiunt scientiam: & legem requirunt ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.

℣. Justus germinabit.

Oratio.

DEus qui beati Prosperi confessoris tui atque pontificis qui in presenti Ecclesia requiescit solemnitatis magnalia amplificas: concede quesumus ut qui rector noster extitit in terris perpetuum intercessorem habere mereamur in Celis. Per Dominum.

In 2. Vesp. omnia ut in prim. A capit. fit de S. Jocunda V.

Ant. pro S. Prospero. Confessor Domini beate Prosper astantem plebem sancta intercessione corrobora: ut qui vitiorum pondere premimur beatitudinis tue gratia sublevemur.......



A N-

Digitized by Google

ANNOTATIONES IN BREVIARIUM

SEU OFFICIUM ET ACTA

SANCTI PROSPERI

Ex nonnullis doctissimorum piorumque Virorum placitis crutæ.



Esta Sanctorum, secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in Rom. Ecclesia non leguntur, quia eorum qui conscripsere, nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus, vel idiotis, superflua, aut minus apta quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur. S. Gelaſ. Papa in decr. An. 494. Quia tamen (ait doctiſs. Papebroch. in Reſp. ad P. Seb. Car. Ar. XVIII.) lectionum talium adhuc non prohibuit Eccleſia, multæ remanſerunt, & multæ prioribus acceſſerunt pro uſu Eccleſiarum, quarum unaquæque habere curabat privatim propriorum Sanctorum legendas. Defectu autem animadverſo, cordi eſſe cœpit Pio V. & aliis aliarum Eccleſiarum Prælatis Breviariorum correctio; eaque reaſſumpta eſt poſtea aliquoties, & pro modo creſcentis in dies magis magiſque ſcientiæ ſæpius reſumenda credi poteſt..... Sed neque dubitari poſſe exiſtimo, quin ejuſmodi Officiorum ex apocryphis actis compilatorum approbatio, magnum præjudicium veritati cauſet in vulgo, exiſtimante, nihil niſi undequaque certiſſimum contineri in Officiis talibus, præſertim approbatis Romæ. Hæc enim cauſa eſt, cur Epiſcopi paſſim, atque imprimis Romani, tam ſolicite curaverint, aliquoties recognoſci Breviariorum lectiones, multa corrigentes, quædam diſſimulantes, donec veritas, aut falſitas certius appareat.

Cæterum, Romanam Eccleſiam, non ſicut Evangelium, (quod & Ge-

Digitized by Google

& Gelasius monuit) legere consuevisse, & legenda proponere quælibet Sanctorum Acta; sed potius ea cuncta apostolica illa lance libranda relinquere, *omnia probate, quod justum est tenete*. Ita Emin. Card. Baron. ad A. 302. n. 104.

Ætate Urbani IV. ideft sec. 12. Ecclesiæ singulæ arbitratu suo fingebant, & refingebant Breviaria; quæ tamen nullam historiis antiquis fidem dare possunt, sed ab ipsis accipere, atque ad has recurrendum, statuere volenti, quo in gradu aut certitudinis aut vero similitudinis collocari quodque libeat. Papebr. in Conat. p. 2. fol. 52. Item & To. V. maji fol. 354.

Illud (Breviarium nempe) maximæ quidem auctoritatis esse in iis, quæ per se se ad cultum ecclesiasticum attinent; minoris tamen ponderis esse in privatis factis aut gestis, quæ in Vitis Sanctorum ex occasione referuntur; ita ut efficax argumentum inde peti non possit, ubi præsertim antiquiora monumenta adversantur. Ita Emin. Card. Ursinus, qui fuit Pontif. Benedictus XIII. Dissert. de Reliquiis S. Bartholomæi Benevento vindicatis.

Cyriacus, qui inter Pontifices Rom. aliquando adscriptus fuit, scilicet, inter SS. Pontifices Pontianum, & Antherum, quique in antiquis Breviariis memoratur socius S.S. Ursulæ & Sociar. ut in Brev. an. 1522. Venetiis excuso, ac in alio, A. 1550. quique in Gloss. Decr. Grat. locum habere visus est, Gregorii XIII. auctoritate abrasus fuit, Breviariaque in id reformari jussa. Papebr. ibid.

Innocentius XI. Pont. Max. Joanuem Calà pro Sancto Anachoreta pluribus annis in Regno Neapolit. habitum, & cultum, ulla imposterum veneratione affici vetuit, An. 1680. præcipiens expresse, omnem cultum eatenus ei exhibitum penitus tolli.

Præstat namque in rebus gestis martyrum, aliorumque Sanctorum multa desiderari, quam omni ex parte nutantia plurima cumulari. Melius enim consulitur ecclesiasticæ veritati, rerum, quæ non sunt adeo exploratæ, silentio, quam mendacio aliquo veris licet admixto, atque adulteratæ orationis eloquio. Cardinal. Baron. de Act. S. Catharinæ V. & M.

Divorum gesta, quæ in Ecclesia legi solent, despici nullo modo oportere, quamquam nonnulla ex his incerta sint, apocrypha, levia, falsa..... Non enim idem est, mihi crede, historiæ approbatio, & usurpatio. Utitur quidem interdum Pontifex, si quicquam suadere cupit, receptis opinionibus, sententiis, rebusque vulgatis; at non continuo quæcumque in hunc usum attulerit, ea Sedis Apostolicæ judicio probat; aliud quippe est suadentis munus, aliud definientis. Melch. Can. l. xi. de locis Theol.

DE

Digitized by Google

DE ÆTATE AC PATRIA DIVI PROSPERI REGIENSIS IN ÆMILIA EPISCOPI

CRITICA DISQUISITIO.

CUm satis superque, opinor, ostenderim, Divum Prosperum nostrum pro Aquitano Doctore haberi non posse, superest modo inquirendum, qua ex regione probabiliter fuerit oriundus, & quo tempore vixerit. Licet autem facilius sit, antiquum errorem ex animis convellere, quam patriam Episcopo nostro certam assignare, quod res priscorum Ecclesiæ seculorum densa caligine, ut plurimum, obvolutæ sint, nihilo secius aliquid luminis ex ipsis tenebris erui in rem nostram posse non sine argumentis puto. Quæ igitur mihi probabiliora videntur, eruditi Lectoris judicio subjiciam, plura fortasse, atque certiora, si diutius vitam ducere desuper datum fuerit, allaturus.

Illud ergo inprimis ad memoriam est revocan-

dum, quod in D. Prosperi Vitæ Cap. II. adnotavimus n. 36., nempe, in vetusto, omniumque antiquissimo Martyrologio divo Hieronymo adjudicato, Prosperum quendam Regiensem Episcopum inter Divos numerari; ex quo inferre licuit, non nisi quarto, aut quinto seculo Regiensem cathedram tenere potuisse; antiquiorem namque fuisse sustineri haud posse, ex eo conijcio, quod tribus primis Ecclesiæ seculis, non Confessores, sed Martyres tantum in Ecclesiarum Dypticis recenseri consueverint, quod nemo Eruditorum nescit; posteriorem vero quarto, aut quinto seculis, nullus unquam mihi persuadeat; nam Divo Hieronymo, aut cuilibet ejusdem ævi Scriptori ignotus fuisset. Qualis autem fuerit ab Ecclesiæ exordio ad quartum usque, & quintum seculum, atque ulterius etiam per longum tempus continuata in summorum Sacerdotum, seu Episcoporum electione, Ecclesiæ praxis, ex quam plurimis SS. Patrum testimoniis, ac Conciliorum Decretis certissime patet; scilicet, non alienigenas, sed indigenas tantum ipsiusmet Civitatis, aut Diæcesis Viros, quorum doctrina, ac vitæ sanctitas Clero, & Populo perspecta esset, ab ipsis Clero, & Populo fere semper electos, seu postulatos fuisse. Ne autem multis, ac pene innumerabilibus SS. Patrum, aut Conciliorum ad id comprobandum, testimoniis, quorum longum indicem hic texere possem, Lectori fastidio sim, ejusque otio plus æquo videar abuti, illustriora tantum hic afferre satis erit, quibus quasi solidioribus fundamentis innixus, hujuscemodi praxis certitudinem persua-

Digitized by Google

ſuadebo. Age ergo, Patrum antiquiſſimus agmen ducat Divus Cyprianus, cujus teſtimonio conſtat, plebem in Epiſcoporum electione judicii ſui teſtimonium dediſſe, atque id poteſtatis ex divina auctoritate, apoſtolica ſcilicet traditione, deſcendere: en ipſius verba: *Cum ipſa maxime plebs habeat poteſtatem vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recuſandi; quod & ipſum videmus de divina auctoritate deſcendere, ut Sacerdos plebe præſente ſub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio, ac teſtimonio comprobetur.* Lib. 1. Ep. 4. At de ignoto homine judicium ferre non poterat. Hoc ipſum & ex Julii I. Papæ Epiſtola in D. Athanaſii defenſionem firmatur, cui, non potuiſſe ait, Gregorium obtrudi ſucceſſorem, *quem neque plebi cognitum, neque a Presbyteris poſtulatum* conſtabat. Hanc eandem diſciplinam firmavit Cœleſtinus I. Ep. 2. ad Gallican. Epiſcopos cap. 5. ut videre eſt apud Natal. Alexand. Hiſt. Eccl. ſec. IV. cap. VI. Quartum vero teſtimonium ad rem noſtram accomodatius eſt D. Leonis Magni Ep. 84. ubi ait; *cum de ſummi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri, Plebiſque conſenſus concorditer poſtulaverint, ita ut ſi in aliam forte perſonam partium ſe vota diviſerint, Metropolitani judicio is alteri præferatur, qui majoribus & ſtudiis juvatur, & meritis;* quod non ſemel & alibi confirmat, & maxime Epiſt. 92. dum *nulla*, inquit, *ratio ſinit, ut inter Epiſcopos habeantur, qui nec a Clericis ſunt electi, nec a plebibus expetiti;* Cujus laudatiſſimæ praxis cauſſam affert; *ne*, ſcilicet, *Civitas Epiſcopum non optatum*

aut contemnat, aut oderit, & fiat minus religiosa quam convenit, cui non licuit habere quem voluit .... Nullus igitur subdit S. Doctor *invitis, & non petentibus ordinetur Episcopus*. Quis autem ignotum hominem, a Plebe expetitum sibi persuadeat? Ad ipsum ergo Clerum & Populum Leonis Magni testimonio electio Episcoporum pertinebat: Et rectissime id quidem, Clero enim & Populo morum, ac vitæ innocentia Hominis in Pastorem principem eligendi, melius quam cæteris perspecta esse debuerat; *cujus*, (en verba ipsius S. Pontificis Ep. 28.) *vita vel actus, quia melius possunt illic, ubi diu est conversatus agnosci*. Nihil certe aptius Leonis testimonio ad confutandum nonnullorum adhuc dormitantium errorem, qui ob nonnullas sublestas scriptiunculas, anilibus traditiunculis refertas, fovere falsa pietate pergunt creduli popelli opinionem, de Prospero Aquitano ab eodem Leone Regio nostro in Episcopum destinato. Quis enim sibi persuadeat, Pontificem illum, qui hoc disciplinæ caput aperte commendat, inculcatque verbis, violasse factis, atque insuper Patres, Concilia, apostolicam traditionem pro nihilo reputasse? Proh quam facile, quæ longissimis temporum intervallis a nobis distant facta, pervertit, confunditque infuscata populorum traditio! & quod magis dolendum, vulgus, quos semel imbibit errores, dedoceri se, pro falsa pietate non finit. Sed ad id confirmandum addere præterea aliquot Conciliorum decreta hic placet. In Concilio Parisien. III. An. 557. can. 8. statuitur, ut *nullus ordinetur Episcopus, nisi quem Populi* & Clericorum electio plenissi-

niſſima quæſierit voluntate: Item & ex Conc. Tolet. IV. can. 18. *Sed nec ille deinceps Sacerdos* (ideſt Epiſcopus) *erit*, *quem nec Clerus*, *nec Populus propriæ Civitatis elegerit*. Quod firmatum etiam fuit in Conc. Rhem. ſub Dagoberto Rege can. 25. *Ut decedente Epiſcopo*, *in locum ejus non amplius ſubrogetur*, *niſi loci illius indigena*, *quem univerſale*, *& totius Populi elegerit votum..... aliter qui præſumpſerit*, *abjciatur a Sede*, *quam invaſit potius*, *quam accepit*. In quibus equidem & Patrum, & Conciliorum ſtatutis optime verſatus ſanctiſſimus Pontifex Gregorius magnus eandem diſciplinam non ſemel, ſed centies repetit, inculcatque in ſuis Epiſtolis; ex quibus omnibus brevitati conſulentes, ea tantum afferemus quæ in Ep. 26. l. 2. ac. 22. l. 4. ſcribit; In prima enim ad Magnum Presbyterum ſic loquitur; *admone Clerum*, *& Populum*, *ut ad eligendum nullatenus diſſentiat Sacerdotem*, *ſed uno conſenſu talem ſibi eligant conſecrandum*, *cujus & actus laudabiles*, *& grata Deo*, *& hominibus poſſit eſſe perſona;* In ſecunda vero ad Cyprianum Diaconum ſcribens ait; *Clerum & Populum Loci ipſius admonere te convenit*, *ut omni dilatione poſtpoſita eligant*, *qui*, *ſibi revelante Deo*, *debeat Epiſcopus ordinari*. Quod vero eligendus de eadem eſſe debeat (ſi dignus inveniretur) Civitate vel Diæceſi, vel certe Clero adſcriptus, expreſſe innuunt ejuſdem Pontificis verba Ep. 19. l. 2. ad Gregorium Benenatum Epiſcopum; *nullum*, ait, *de altera eligi permittat Eccleſia*, *niſi forte*, *inter clericos ipſius Civitatis nullus ad epiſcopatum dignus*, *quod evenire non credimus*, *potuerit inveniri*. Nullus

ergo

ergo superest ambigendi locus, quin constans invariataque non modo primis Ecclesiæ seculis, sed deinceps etiam perduraverit asserta in Episcoporum electione Ecclesiæ disciplina Quæ tamen ob Populorum dissidia, & tumultus, paullatim deficere visa est, penitusque post seculum decimum desiisse: sicque ad comprovinciales Episcopos, ac demum ad summos tantum Pontifices jure, ac merito jus eligendi devolutum est. Non moror hic innumera alia Patrum antiquorum suffragia, Conciliornm, Scriptorumque, quibus hæc magis fulciri possent, quod mihi propositum fuerit, nonnulla tantum referre, quæ satis essent ad judicandum, quid de D. Prospero nostro sentiendum sit. Et quidem sagax prudensque Lector, ex his quæ in rem nostram tantummodo delibavimus, conijcere potest, quænam nobis de ætate, ac Patria beatissimi Viri, cujus cineres possidemus, ac protectione lætamur, sententia insit, nempe, nec ab Hispaniis, aut Galliarum finibus, aut ex quacumque alia dissita regione adscitum, sed indigenam, vel conterraneum nostrum ab ipsis clero, & populo de more postulatum, atque electum. Nec enim vero doctissimi Cardinalis Norisii conjecturæ, vel potius divinationi acquiescere possumus, qua suspicatur, Prosperum nostrum unum ex illis fuisse Episcopis, quos Barbari ex Africa ejecere; cui conjecturæ, seu speculationi, qua in prima parte Commentariorum Monasterii D. Prosperi fere capti fuimus, modo acquiescendum non putamus, cum doctissimi purpurati inductionem, non nisi meris conjecturis fultam, nec ullo testimo-

monio roboratam animadvertamus. Qua in re, nemo ſane temeritatis nos arguere poteſt; quamdiu enim in opinionibus meris verſamur, illa certe omnibus præferenda eſt, quæ ſolidioribus fundamentis videtur inniti. Ejuſmodi autem eſſe hanc noſtram, niſi ab Eruditis certiora pro contraria opinione afferantur, perpetuo putabimus. At, unum adhuc adijcere placeat argumentum ex ipſo Vitæ Divi noſtri Scriptore depromptum, qui dum fabulam de Proſpero Aquitano texere pergit, vel nolens opinioni noſtræ robur adjecit; ea quippe ſcribit, unde plane colligas, Proſperum noſtrum faſſum eſſe, ſe a Clero, & Populo Regienſi in Epiſcopum electum. Id clare liquet, ubi ipſum inducit novo gregi pro electione gratias agentem talibus verbis; *quod magna veſtra debeam gratia referre, cui Deo volente maxima contuliſtis*; & in antiquo nocturnali Officio, in Reſponſorio ſcilicet, uti vocant, lectionis octavæ ſecundi Nocturni expreſſe dicitur, a populo electus, ubi legitur; *pervenit ad Æmiliam*, *ubi electus a Populo*, *ordinatus eſt Epiſcopus*. Hæc ſunt non minimi certe ponderis argumenta, quibus opinionem noſtram ſupra antiquam perſuaſionem ita ſplendeſcere putamus, ut uberiore luce non indigere videatur. Illud reliquum eſt, ut me ad meos concives convertam, atque ex animo profitear, me eo impenſius Proſperum Regii noſtri Epiſcopum colere, ejuſque cineres libentius, demiſſius, ſuavius venerari, quo meimet conterraneum probabilius fuiſſe dignoſco; deinde vero eoſdem commonefaciam, quod ſi ob Patriæ amorem antiquo adhuc errore delectari pergunt,

Digitized by Google

gunt, major certe in Patriam, in Nosque omnes redundat splendor ex Prospero, quem ipsa genuit pavitque, quam ex quocumque aliunde receperit. Sed, ut unde orta est oratio, ex amore scilicet veritatis, quam maximi facio, in eodem terminetur, iterum spondeo, me vulgus imperite blaterans perpetuo aspernaturum, certiora vero eruditorum judicia nunquam non libentissime excepturum.



VITA


Digitized by Google

V I T A
SANCTI VENERII

Ex Cod. MS. Monasterii
pag. XCIV

CAPUT QUINTUM.

Incipit (1) Vita S. Venerii Monachi
(2) & Heremitæ.



Um enim Sanctorum dicta vel facta hominibus dilucidanda comperimus ad augmentum Ecclesie proficere pleniter credimus ut de ipsorum exemplis aut imitando proficiant aut si imitari non prevalent illorum recte facta laudando a suis sceleribus subleventur. Hac itaque fiducia provocati beatissimi Patris Venerii Sacerdotis (3) & monachi quantum

(1) *Incipit Vita*. Divi Venerii Vitam vulgari idiomate jam dedimus in fine p. p. Commentar. Monasterii D. Prosperi. Eam vero critico sale destitutam, ex hoc Codice non tantum, sed & ex Petro de Natalibus, aliisque qui de eo scripsere, Auctoribus sic dare placuit, quod tunc Lectorum pietati, non eruditioni aliquid afferre cogitaremus; nunc criticis notis illustrabimus.

(2) *Monachi & Heremite*. V. notata n. 44. Cap. 3.

(3) *Sacerdotis*, Divum Venerium nostrum sacerdotio fuisse insignitum constat ex his quæ infra leguntur; nempe, quod Lazari

tum his nostris temporibus ex hujus gestis comprehendere potuimus posteris cognoscenda perspicimus. ut cujus sanctitatis iste vir fuerit omnibus patefactis ad emolumentum augmentumque proficiat. Non igitur cenodoxie actus vitio aut aliqua improba temeritate tanti viri facta narrare conatus sum sed ob amorem ipsius ea que vel ipse didici vel que viris religiosis narrantibus (4) cognovi posteris comperi fore narranda credens me suis sacris orationibus inter hujus Mundi procellam manere illesum si que ipse gesserit fidelium auribus intimare curaverim.

Fuit ergo hic vir ex insula que appellatur Palmaria (5) que vicina maris habetur Provincia Lunensi nobilibus parentibus exortus literarum studiis ab ipsis traditus fuerat. cepitque venerabilis puer labori

ri Lunensis Episcopi precibus devictus, regionem a saevi Draconis voraci feritate liberaturus, *peracto divino mysterio*, perceptoque Corpore, & sanguine Domini, ad opus arduum, ac portentosum se accinxerit.

(4) *Viris religiosis narrantibus*. Cum ex ipso Codicis charactere constet, Scriptorem nostrum circa seculum XII. floruisse, seculis scilicet octo ad minus a Divi Venerii aetate, non nisi quae in antiquioribus schedis legerat ipse, aut a senioribus audierat, potuit scribere. Hinc plane liquet, universa hujuscemodi Sanctorum Acta critico quam maxime egere calamo, ut a mendis non modo expurgentur, sed etiam illorum in his detegatur credulitas, qui falsa pro certissimis habebant, vulgabantque, vel etiam falso pietatis impulsu sibi licere putabant, plura ex traditiunculis male consutis, rivulisque plerumque turbidis derivata, dummodo sibi suaderent evenisse, in vulgi aures effundere, deglutiendaque propinare.

(5) *Palmaria*. Haec parva est Insula in ore Portus Lunensis apud Portum Veneris, ab eo freto angustissimo divisa, qui Portus appellatur & *Golfo della Specie*. Baudrand.

Digitized by Google

bori ita dare certamen ut intra annos paucos liberalibus artibus non ſolum coevos ſed etiam ſuperiores in diſcendo ſuperare videretur. Cum jam adprime eſſet inſtructus cæpit cogitare ut pro temporalibus non careret eternis dedit operam ut aut Monachorum (6) necteretur ſocietati aut ſolus habitans vitam heremiticam degeret: quo potiori conſilio functus poſſet vitam eternam adipiſci.

Poſtpoſito ergo natali ſolo Inſulam petiit que marinis fluctibus circumdatur diſtans a Lunenſi (7) Civitate plus minuſve millibus octo nomine Tyrus (8) major ut ibi orationibus vacans ſolitariam duceret vitam herbis agreſtibus ac pomis quas locus ille ferebat contentus. Cumque jam per multorum annorum curricula vir ſanctus Venerius ibidem moraretur nihil

(6) *Monachorum*. Conſule notata Cap. III. n. 44.

(7) *Lunenſi Civitate*. Lunam Æthruriæ Civitatem, eamque maritimam ad *Macra* fluminis oſtia, de qua Plinius, Strabo, Ptolomæus, & Livius, ſeculo XII. a Normannis everſam, probat præ ceteris doctiſſimus Franciſcus Orlendus Ord. Prædicatorum in ſuo Opere *Orbis ſacri*, *& prophani*. Ejus Portum, ditionemque deſcriptam habemus in quodam MS. Hippoliti Landinelli nobilis Sarzanenſis; quod ut publicam lucem videat quam maxime optamus. Porro ex Lunæ Civitatis ruderibus vicinum Oppidum *Sarzanam* extructum ait Volaterranus, unde etiam *Luna nova* nomen accepit; ac paullatim in Civitatem non ignobilem crevit.

(8) *Tyrus major*. Diverſam hanc a Palmaria Inſula ex Scriptore noſtro credere jubemur. Quænam vero fuerit, ſitque modo, a Civitate Lunenſi (cui *Sarzana* in dignitate epiſcopali ſucceſſit) octo circiter & ipſa milliaribus diſtans, in Lexicis geographicis fruſtra perquiſivimus. Parvam tamen Inſulam fuiſſe probabile eſt, quæ modo aliud nomen ſortita ſit; num Balearis major? ſed id non cohæret Diplomati Adalberti Marchionis Æſtenſis in favorem illius Eccleſiæ, & Monaſterii, quod videre eſt in prima parte Antiquit. Ateſtinar. a claro Murator. editar. c. 34.

Digitized by Google

nihil aliud ut diximus ad esum habens nisi poma agrestia erbasque saltus. monuit Dominus in visu virum quendam Agrestium nomine ut suum famulum Venerium in Maris specu latitantem inviseret. & que sibi imperaret perviciter adimpleret. Exterritus itaque Agrestius de tante visionis magnitudine prius quam sol grata lumina funderet terris Navim ascenso ad Tyrum Insulam navigare conatur. Virum de quo sibi revelatum fuerat perquirere. Deo autem protegente prosper ventus cepit karimbum (9) impellere & predictum Agrestium pernici cursu ad sanctum adduxit virum. Cepit tunc Agrestius referre beato Venerio que eadem nocte in somnis ammonitus fuerat & que sibi ob ipsius preceptionem fuerant imperata & cum cordis humilitate deposcere ut que exequi deberet vir sanctus eadem imperaret. Et idem Sanctus cepit illum de dilectione Dei & proximi & paciencia ac humilitate seu contritione cordis ammonere: & quia qui pie volunt vivere in Christo persecutionem patiuntur & opportet nos per multas tribulationes introire in Regnum Dei. Hec & alia multa viro Dei prosequente tremefactus Agrestius cecidit ad pedes ejus rogans ut sui misereretur & oraret pro illo. quia sua virtute nihil que ab eo audierat exequi valeret. Tunc beatus Venerius elevans eum & exortans valedicens remisit ad propria rogans ut sibi sarculum & sextarium (10) ordei mitteret

(9) *Karimbum*. i. naviculam, seu cymbulam.

(10) *Sextarium*. Mensura antiquitus hæc erat, tam aridorum, quam liquidorum. *Sextarius farinæ*, legitur in Vita S. Galli apud Vualfrid. Strabon. sicut & hic, *sextarium hordei*. Item & ex

teret quo sibi sereret qualiter secundum Apostolum unde viveret propriis manibus laboraret. Regressus itaque vir domum que audierat vel viderat retulit & que jussus fuerat quantocius adimplere satagit. Transmisso itaque sarculo cum ordeo serit illud vir Dei. Crevit ordeum & ad maturitatem perductum messuit & teruit & decem modia protulit. Cepit deinde frequentia populi ad eum percurrere penitentie medicamenta conquirere. Ille ut sapiens Medicus cunctos hortatur ut postposita faleramenta Mundi discant mortificare membra sua super terram quatinus per hujus delectationibus (11) miserimi seculi donis celestibus non priventur. Tanta in beato Venerio gratia redundabat ut quicumque ad illum potuisset accedere ac si celitus refocilatus ita dulcedine ipsius ammonitionibus repletus abscederet.

Cum quadam die vir quidam pauper Domoalis nomine ad eum visitandi gratia advenisset & puerum suum qui navem quousque reverteretur in ora maris ad previdendum reliquisset. cum illi pariter fa-

ex Trebell: Pollion. in Vita Claudii Imp. habetur; *Vini veteris sextarios tria millia quingenta*; & apud Greg. Turon. l. 1. mirac. c. 5. legitur, *Ita & unius hora spatio plusquam unum sextarium* (scilicet olei) *redderet vasculum, quod quartarium non tenebat*.

(11) *Per hujus delectationibus*. i. Propter delectationes. Nimius certe essem, si omnia latinitatis sphalmata in Scriptore nostro corrigenda assumerem; mirari tamen haud debet de talibus Lector, scilicet solæcismis, barbarismis, atque frequenti stribligine, orationisque asperitate, quæ in plerisque hujus seculi Scriptoribus invenitur; nondum enim extersa penitus erat ea scribendi ruditas, quæ in anteactis seculis mediæ ætatis vigebat; adeo ut qui aliqua elegantiæ forma balbutire inveniretur, sapientissimus haberetur.

Digitized by Google

sabulantur parvulus obdormivit. Cane autem quem vir Dei ob adventum venientium penes se habebat domi latrante exterritus puer exilire cupiens in mare demersus est. Regrediente autem domino puerum mortuum invenit. Navis vero a vi venti jactabantur Domoalis itaque de morte pueri dolore stimulatus de reversione sua anxians quia qualiter domum reverteretur non habebat ad virum Dei reversus cepit compellare non se idcirco ad ejus beatitudinem visendam venisse ut & puerum perderet & Navem qua domum reverteretur minime inveniret. Audiens autem vir sanctus hoc in terram orans ruit. diuque in oratione prostrato Navim ad litus de quo sublata fuerat reduxit. & puerum resuscitavit dominoque viventem reddidit quem prius vehementer Dominus mortuum deflebat. Reverso itaque Domoali domum causam rei omnibus patefecit. Ceperunt undique plebes ad virum Dei concurrere ob redintegrandam sanitatem corporum & multi obsessi a Demone veniebant ad eum & ille Dei fultus auxilio curando omnibus subveniebat. Ita erat attenuatus fame ut vix vivere crederes ut qui aliorum curationibus semper erat sollicitus in suo corpore monstraret sua corpora mortificent qui Deo digne cupiunt deservire.

Cum jam sancti viri fama non solummodo per Tusciam sed etiam per Romanas & Ausonias (12) par-

(12) *Ausonias*. Ausonia, regio Campaniæ inter Cales, & Beneventum extensa, in qua *Capua* metropolis. Populi Ausones, Aruncis, qui inter Latium, & Campaniam circa Suessam Urbem incoluere, finitimi. Calabria quoque in magna Græcia, & Brutiis, Ausonia dicta est, uti apud Ovidium. Italia etiam vetus *Auso-*

Digitized by Google

partes crebresceret pervenit ejus opinio ad Focam (13) Imperatorem qui eo tempore Italicum & Constantinopolitanum Imperium luculentissime regebat. Nec non & beatus Papa Gregorius (14) audiens ejus

Ausonia apud Poetas appellatur, Ovid. l. 14. Metam. *Ausonia; Siculaque tenet confinia terra*: & Virgilius l. 4. Æneid. *Qua tandem Ausonia Teucros considere terra Invidia est*. Baudrand.

(13) *Focam Imp.* Eminentifs. Card. Baronius in not. ad Martyrol. Rom. ad diem 13. Septemb. in Vita S. Venerii hæc habet: *Venerius hic, de quo agimus, claruit temporibus Phoca Imperatoris, & Gregorii Papa, qui Monasterium ejusdem in Palmaria Insula ad canonicam observationem restituendum curavit; cujus Acta in compendium redacta habet Petrus in Catal. L. 8. c. 65.* Phocas autem Imperator seu potius Tyrannus Imperio potitus est a die 23. Nov. An. 602. Mauritio Imperatore, ejusque Filiis crudeliter necatis. Tenuit autem Imperium Phocas ad initium usque Octobris Anni 610. quo & ipse, post innumera crudelitatis flagitia, quæ recensere horrescit calamus, pari nece sublatus est.

(14) *Papa Gregorius*. Iisdem temporibus Phocæ Imp. Gregorium magnum Pontificem Ecclesiæ præfuisse non ignoramus, ab Anno scilicet 590. 3. Sept. ad Annum usque 604. 12. Martii, quo die ejus celebratur memoria. Intra hoc temporis spatium vixisse Venerium nostrum arbitratur Baronius. Porro ad Phocam Imperatorem litteras gratulatorias dedisse Gregorium Pontificem (responsivæ quamvis non extent) certi sumus. An vero Litteras etiam Venerio dederit, *ejusque societatem, ac familiare colloquium*, ut creditur, affectaverit, prorsus ignoramus. Res certe est, quæ in dubium jure revocari possit, cum nullus antiquior, Scriptore hoc nostro, a D. Venerii ætate tot seculis distanti, de hoc meminerit; Petri autem de Natalibus quinti decimi seculi Scriptoris auctoritas ab eruditissimo Baronio allata, satis ponderis habere haud videtur ad hæc firmanda. Constat equidem ex D. Gregorii Epist. l. 1. per ipsummet Gregorium Anthemio Subdiacono impositum, ut Monasteria nonnulla, inter quæ & illud quod in Palmaria Insula situm erat, a mulierum consortio (quæ pro necessitate feritatis barbaricæ declinandæ apud ea refugerunt) submoverentur; id tamen haud probat, eo tempore vixisse Venerium; immo potius ad Superos jam evolasse crediderim; quis enim sibi sua-

Digitized by Google

jus celebre nomen crebrescere misit ad illum Epistolam petens illius societatem ac familiare colloquium. Erat namque in eodem loco prope Lunensi Civitate Draco ingens qui diversa detrimenta hominum faciens Carinas advenientium subvertebat. Cumque crebro innumerabilium hominum multitudinem occideret & nulla arte tam sevissimam pestem valeret effugere. necessitate compulsi unanimiter ad Lazarum (15) Episcopum qui tunc Lunensem cathedram regebat accedunt precantes humiliter ut illis in tali necessitate constitutis misereatur qualiter suo sacro fulti auxilio crudelissimam bestiam effugiant. Anxius ille accersito Archidiacono suo mittit ad beatum Venerium rogat ut suis precibus Draconem expellat. Veniens itaque predictus Archidiaconus jussa que Episcopus mandaverat depromit. Audito itaque nuncio Vir Dei quod Episcopus mandaverat exterritus ait: quare Dominus meus Episcopus talia mandat fieri cum nullius meriti sim ut hoc miraculum facere queam. Cumque is qui advenerat Archidiaconus instaret quatinus precibus simul & jussionibus Episcopi obedire non abnueret. respondit: Nequaquam ego hoc facere conabor quia nullius meriti dignum me esse comperio ut talia facere queam. Archidiaconus navim ascendens venit ad Episcopum & que in responsis acceperat reportat. Episcopus autem cum aliis pluribus Sacerdotibus & Viris religiosis ad eundem Virum mittit obsecrans ut tam suis quam & populi precibus

suadeat, quod nullam de eo adhuc vivente mentionem fecerit S. Pontifex? Litteras quippe ad ipsum pro tali re probabilius dedisset Gregorius.

(15) *Lazarum Episcopum*. Consule notata n. 44. Cap. III.

Digitized by Google

bus faveat. & hanc impiam mortem ab eis repellat. Quibus ille ut prius indignum ita & secundo atteſtari cepit non ſe illius eſſe meriti quod per illum peccatorem talia Dominus operari dignaretur: Regreſſi illi & de fruſtrato labore cauſam narrant. Tunc Epiſcopus tertio ad illum miſit multis precibus & lacrimis obſecrans ut illis in tam magna neceſſitate laborantibus ſubveniat. reminiſcique Deum ita miſericordem ut ad eum tota devotione clamantibus ac in neceſſitate conſtitutis propitius favere dignetur. Tunc vir Dei dedit ſe in oratione & jejunio per continuos tres dies & die quarto primo diluculo celebrato divino miſterio & communicans ſe Corpore & ſanguine Domini & ſic per gradus duriſſimi ſilicis cepit ad Draconem deſcendere. & ubi Vir Dei pedem poſuit ita veſtigium fecit ac ſi ſuper nivem ambularet. venienſque ad locum ubi Draco jacebat armans ſe ſigno crucis & ei clara voce dixit: Epiſcopus meus Lazarus precipit tibi o Draco ut exeas ab hoc loco & nulli nocens vadas in profundum abyſſi. Draco vero nullam motionem fecit nec aliquod ſignum egreſſionis. Iterum ſanctus vir dixit. o Draco precipit tibi magiſter meus Lazarus Epiſcopus ut exeas & recedas ab hoc loco & nemini nocens vadas in profundum abyſſi: Sed nec tunc quidem aliquem motum fecit. Tunc vir ſanctus Venerius extenſa manu faciens ſignum crucis dixit ei: In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti precipio tibi Draco ut neminem ledens exeas ex iſto loco & in profundum demergaris ita ut ulterius non appareas. Tunc

Draco statim exiliens cum magno fragore & sonitu & intolerabili fetore ingentem saxum sub quo latebat frustatim comminuit & demersus est in profundum Maris . & ulterius nusquam comparuit . Videns autem Episcopus una cum clero & populo Navim ascensis ceperunt navigare ut ad eum venirent & pro tali trofeo victorie congratularentur ei . Venerius hoc prospiciens noctu ascendit Navim & pelagus (16) fugiens venit ad Insulam que appellatur Cirnus (17) ibique per aliquot dies latitans quousque clamor populi sedaretur . nimirum ne favor adulantium polueret mentem plenam decore virtutum : quia quamvis mentes justorum in oculis spectatoris semper invigilent fragilitatem tamen humani casus sollicite perpendere debent : quoniam cum lividus anguis in majoribus illabere nequit . decertat ut saltem vel in minimis sanctos Dei possit commaculare .

(16) *Pelagus fugiens*. i. Navi per Pelagum vectus.

(17) *Cirnus*. In Lex. geogr. Baudrand. hæc leguntur; *Corsica, Cyrnus etiam Ptol. & Strabone, a Cyrno Herculis filio nominata, teste Isidoro l. 14. Etymol. Corsis; Steph. Corsica vulgo; Insula maris Ligustici, & Tyrrheni, proxima Sardiniæ*. &c.

Ex

Digitized by Google

Ex eodem Codice pag. XXIII.

Incipit qualiter Sancti Venerii Corpus post nonagesimum annum a Lucio (1) Episcopo revelatum sit III. Kal. Maii.

CAPUT SEXTUM.



Uia retributor Dominus noster nobis pro illius amore nostra renunciantibus centuplum se in hac vita daturum promisit & insuper vitam eternam. voluit etiam servo suo Venerio terrenum honorem tribuere ut monstraret nobis quam magni meriti locum apud ipsum possideat. cepit in hoc loco ubi venerandus vir jacebat oleum fundere quod usque hodie fundit. & quicumque ex eo oleo ungitur statim laboris & doloris se meminit percepisse solamen. tantum ne fides

(1) *Lucio Episcopo*. Lucius Lunensis Episcopus, de quo hic sermo est, quamvis in Lunensium Episcoporum serie (ut apud Ughellum n. 9.) post S. Salarium Martyrem collocetur, cui immediate suffectus fuerit Lazarus Anno 640., id tamen anachronismo laborare jam innuimus supra in not. ad Vit. D. Prosp. Cap. III. n. 44. ubi, Lucium Lazaro posteriorem in Episcopatu fuisse, & collocari debere monstravimus, ac propterea sub initium seculi octavi probabilius sedisse credendum est.

Digitized by Google

des maneat infecunda. Apparuit in visu domino Lucio Episcopo Lunensi ut in loco quo vir Dei jacebat Ecclesiam fabricaret custodes poneret qui eidem sancto viro dignum exhiberent obsequium. Exurgens itaque Episcopus vocatis Sacerdotibus suis causam audierat refert simulque cum clero & populo Navim ascendens ad locum revelatum pervenit. querensque locum de quo sibi dictum fuerat reperit ubi oleum fundebatur volens dignoscere veritatem veniens ad Sepulchrum & primus ipse Episcopus terre fossor accessit. Et cum cepisset fodere pervenit ad Corpus III. kal. madii. & ita intactum invenerunt ac si fuisset eadem hora sepultus: tantaque flagrantia odoris ex illo loco emanavit ut Paradisi odoribus coequaretur. Et jussit tunc Episcopus cooperiri sepulchrum & perpulchram Ecclesiam ibidem fabricavit. & custodes (2) instituit qui diligenti cura sanctum custodirent corpus. Cum autem custodes aquam dulcem non haberent ad bibendum meritis beati Viri Venerii infra ipsam Ecclesiam juxta Altare erupit aqua & fons cepit manare perhennis qui usque hodie manat: & si aliquis febricitans ex

(2) *Custodes instituit*. In notis ad Vit. S. Prosp. Cap. III. n. 44. observavimus, a Lucio Lunensi Episcopo Divo Venerio, post Corporis ejus inventionem, fabricatum fuisse Templum, Monachosque probabiliter eidem præfectos custodes. Si vero opinemur, & ipsius D. Venerii ætate, eundem locum Monachos incoluisse, eosdem a Saracenis fugatos, vel ut illorum feritatem declinarent, aufugisse credendum erit; qui exinde a Lucio Episcopo fuerint restituti. Hinc consulenda sunt, quæ in ejusdem D. Venerii Vita, quam vulgari idiomate dedimus in fine primæ partis Commentarior. Monast. D. Prosperi, obiter observavimus.

Digitized by Google

ex illa biberit aqua tantum ut fidem habeat sanitati restitutus incolumis ad propria revertitur. prestantibus suffragiis Sancti Viri qui suis meritis hoc fieri impetrat exaudiente Christo ejus orationes. qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Hec miracula que Sanctus Venerius gessit post mortem suam & postquam de Insula Tyro ad Sarzanum (3) per pontificem Leotecarium (4) delatus est. Qualiter Saraceni loca illa adgressi sunt & ignem non valuerunt supponere. & quomodo ejus ossa per Episcopum Lunensem de eodem loco sublata sunt.

CUm autem jam finis Mundi appropinquare cepisset & caritas refrigescere ac iniquitas habundare juxta evangelicam vocem gens supra gentes ceperunt irruere. & gladiis inter se dimicare. Interea Saracenorum (5) gens tumultuose & insta-

(3) *Ad Sarzanum*. De Sarzanensi Civitate vide not. hic Cap. V. n. 7. & 8.

(4) *Leothecarium*. Hic Pontifex in Episcoporum Lunen. Serie apud Ughell. signatur successor Severi, qui Concilio Rom. sub Agathone Pont. max. an. 680. interfuit. Porro Leotecarium excepit Appollonius anno incerto, cui suffectus dicitur Petroaldus, quem subscripsisse invenimus Conc. Rom. Anno 826. Mirum tamen, tam longo temporis intervallo annorum scilicet 146. circiter, tres tantum in Lunensi Cathedra Episcopos sedisse.

(5) *Saracenorum gens*. Saraceni, seu ea Gens, quæ apud Scriptores tali nomine distinguitur, quamvis seculo quinto audiri cœperit, antiquior eo seculo tamen fuit. De eorum origine, vel potius denominatione, non eadem est apud Scriptores sententia. Ex Ara-

Digitized by Google

Arabia tamen in nos irrupisse nullus dubitat. Sub tali vero denominatione postremis hisce temporibus non innotescere amplius certum est; post Mahumedis namque obortam sectam, sub initium scilicet seculi VII. consuetudo obtinuit eos appellandi *Turcas*. Porro, per multa retro secula eorum crudelitas variis in locis, sed in Europa præsertim ultra fidem sævit. Plura vero quæ apud Scriptores inveniuntur summatim hic referam. Ferini igitur homines victoriis pluribus elati, non nullis in Oriente Civitatibus, ac Provinciis subactis, tributum ausi sunt indicere, non modo Imperatoribus Justiniano, Iræni, Nicephoro, sed & ipsi summo Ecclesiæ Pontifici. Anno 713. nostræ salutis in Hispanias, ut traditur, invasere, indeque in Gallias ubi a Carolo Martello Rege Anno 725. victi fuere, cæsis 375. millibus. In Maris Insulas irrupit postea improba hæc illuvies, occupavitque Cretam, Siciliam, nec non majorem Italiæ partem, quas ita per multos annos depopulata est, ut sacras etiam Ædes, ipsasque SS. Petri, & Pauli Romæ Basilicas spoliaverit. Hoc eodem tempore Cassinense Monasterium aggredi tentarunt nequissimi homines, sed Divi Patris Benedicti protectione ab eorum tyrannide illæsum evasisse traditur A. 846. Cum autem rursus ad Italiæ excidium properarent, Deo favente, dispersos, eorumque Naves confractas, Scriptores narrant sub Joanne VIII. Rom. Pontifice circa annum 878. Insurrexerunt iterum contra Christianos post annos plures, Romæque minitati sunt, atque Christianorum res in eas adduxerunt angustias, ut ad cædes redimendas, stragesque propulsandas, tributum eisdem solvere summus Pontifex coactus sit. Non ita vero prospere in Hispaniis ipsis res cesserat; Ramirus quippe Rex illos ab earum finibus ejecit, & quod victoriam reddidit illustriorem, probrosi tributi, multarum scilicet Virginum quod libidinosi homines indixerant, ultro solvendi, periculum amovit, idque Anno 844. Italiæ autem littora adhuc infestare non cessantes, tandem ab Hetruriæ finibus expulit Summus Pontifex Benedictus VIII., valida comparata classe, anno 1116 vel circiter, cujus memorandæ victoriæ, prout a Ditmaro describitur l. 7. mentionem & hic fieri, Lectori nostro non injucundum fore speramus; Hæc autem illius sunt verba;
„ In Longobardia Saraceni navigio venientes, Lunam Civitatem,
„ fugato Pastore, invadunt, & cum potentia, ac securitate fines
„ illius regionis inhabitant, & uxoribus incolarum abutuntur.
„ Quod cum domino Apostolico, nomine Benedicto fama deferret,
„ omnes sanctæ matris Ecclesiæ tam rectores, quam defensores con-
„ gregans, rogat, ac præcipit, ut inimicos Christi talia præsu-

„ men-

ſtabilis Italiam gladio inſequi decertans. etiam loca illa ubi beatus Venerius jacebat polluere ſunt aggreſſi & circumvallantes Eccleſiam & domum ubi Cuſtodes habitabant ignem ſubponere nitebantur. Cuſtodes illico pavore perculſi quia humanum non habebant ad divinum confugerunt auxilium. ingreſſique Eccleſiam & diligenter foribus obſeratis bea-

„ mentes viriliter ſecum irrumperent, & adjuvante Domino occiderent. Inſuper ineffabilem Navium multitudinem tacito præmiſit quæ eis redeundi poſſibilitatem interciperet. Hoc Rex Saracenus animadvertens, primo indignatus, & tandem paucis comitatus, navicula imminens periculum evaſit. Sui vero omnes conveniunt, & adverſantes prius irruunt hoſtes, eoſque mox fugantes, miſerabile dictu, tres dies, & noctes proſternunt. Reſpexit tandem Deus gemitu piorum placatus, & odientes ſe fugavit, & in tantum devicit, ut nec uno de his relicto, interfectorum, & eorundem ſpoliorum multitudinem Victores numerare nequirent, Tum Regina eorum capta, ob audaciam jure plectitur; aureum capitis ejus ornamentum invicem gemmatum, Papa præ cæteris vendicavit, poſtquam Imperatori ſuam transmiſit partem, quæ mille libris computabatur. Diviſa omni præda, victrix turba læta mente ad propria revertitur, ut triumphanti Chriſto dignas perſolveret odes. Rex autem prædictus morte conjugis, & ſociorum admodum turbatus, Summo Pontifici ſaccum caſtaneis refertum miſit, & per hujus Procuratorem tot ſe in proxima æſtate milites eſſe laturum intimavit. Proſpecta hac legatione, Papa marſupium eidem milio plenum internuncio talibus dictis reddidit, ſi non ſufficiat ſibi apoſtolicam ſatis læſiſſe dotem, ſecundo veniat, & tot loricatos, vel plures ſe hic inventurum pro certo ſciat.

Ex his quæ ſummatim quidem, ſed fuſius fortaſſe quam notæ ferant, retulimus, illud ad rem noſtram colligimus, quod cum jam obſervaverimus n. 4. hujus Capitis, Leotecarium intra ſpatium ſediſſe, quod fluxit ab Anno 680. ad 826., Saraceni intra id temporis ex Africa, aut Hiſpaniis adventantes, inque Inſulam Tyrum probabiliter irrumpentes, in cauſſa fuerint, cur populus Corpus D. Venerii alio transferret.

Digitized by Google

beatum Venerium compellantur ut in mortis periculo constitutis subveniat & velocius suis optineat precibus ut a tam efera gente Saracenorum continuo liberarentur . Dei autem nutu factum est ut Saraceni qui advenerant cum nec postes Ecclesie infringere nec ignem subponere valuissent . cognoscentes ibidem Dei esse virtutem Navim ascensis protinus discesserunt . Intelligentes autem Custodes meritis beati Venerii se esse erutos de manibus perfidorum & de mortis incendio magnificaverunt Dominum qui salvat sperantes in se & qui in periculo constitutis propicius adesse dignatur. Verentes autem se presati Custodes ne aliquando inciderent in manibus diripientium: aut Sepulchrum beati Viri ab impiis fedaretur magis elegerunt secum ossa tanti Patris & in tutiori loco ea collocare quam tanti discriminis dispendia sustinere . Accesserunt ad Episcopum . Lunensem Liutecarium nomine & caussam sue angustie retulerunt . His auditis Episcopus cum consilio respondit melius esse Sanctum Corpus in loco illo collocari ubi & officia & debito onore veneretur quam in tali loco consistere ubi detrimenta Corporis patiantur cum damno animarum . Et jussit predictus Liutecarius pontifex Ecclesiam fabricari juxta ripam Macri (6) fluminis loco qui nun-

(6) *Macri fluminis*. Macra, seu Macatella Ptolæmeo, fluvius Italiæ, Liguriæ terminus, illam ab Hetruria distinguens, ad cujus ostia Luna Urbs jacet ex Apennino monte, seu ex Apenninis montibus oriens, & in mare Ligusticum, seu Tyrrenum (ibi enim unum definit, & alterum incipit) se se effundens , inter ostia Vari ad occasum 211. & ostia Tyberis in ortum 284. mill. pass. teste Plinio, Magra

nuncupatur Starzano distans a Lunensi Civitate miliaria octo. Et sic deinceps cum clero & populo Navim ascenso pervenit ad Sepulchrum Sancti Venerii elevatis ejus reliquiis ad supradictum locum detulerunt & cum debito honore tanti Patris eas ibidem condiderunt deputatis custodibus (7) qui cum magna veneratione ejus exequias celebrarent.

Quomodo dum quidam miles Bertarii (8) Comitis pullos Custodis Basilice Sancti Venerii tollere adgreditur, in amentiam conversus est.

CUm enim omnipotentem Dominum quelibet forcia agere comperimus fragilitate humana ducti conicimus facilius minora quam majora posse perficere, cum apud eundem conditorem nostrum Dominum equaliter omnia operentur & ut in magnis ita in minimis ejus magnificanda sunt mirabilia. Hec nos ideo proferimus ut cum minora facta protulerimus legentis animus nequaquam in hoc torpeat aut magnificare ejus magnalia parvipendat. Sed sollicite retractet apud semetipsum quia qui omnia pariter condidit equaliter majora minoraque restauret.

Magra vulgo. Hæc Philippus Ferarius in Lexico Geogr. quibus a Baudrando hæc addita sunt: *Macra oritur in limine Ducatus Parmensis, & postea juxta Apuam labitur; deinde auctus Verra, Ula, aliisque minoribus amnibus, tractum Vallem Macra ab eo dictum rigat, & per ditionem Genuensem fluens, paullo infra Sarzanam in mare mediterraneum se exonerat.*

(7) *Custodibus.* Consule notata n. 2.

(8) *Bertarii.* Alicujus fortasse reguli illius regionis.

Digitized by Google

ret. Cum quadam die perversus miles Bertarii Comitis juxta Basilicam beati Venerii transiret pullos quos inibi viderat concupivit dixitque hominibus qui aderant ut eidem de ipsis pullis tribuerent. Illis autem renuentibus & dicentibus se facere non audere ob illorum Magistri terrorem exiliens equo pullos persequi cepit e quibus duobus apprehensis abscessit: sed divina ultio mox affuit illumque vertit in amentiam. Cumque hi qui circa illum gradiebantur illum privato sensu suo cernerent reversi ad Ecclesiam rogant custodes ut suos pullos recipiant. Illis autem recipientibus ipse ut erat remansit. Anxiantibus sociis de recuperatione Viri optulerunt equum ipsius cum balteo & arma Sancto Viro Venerio & ita pristine sanitati receptus cum sodalibus incolumis remeavit ad propria narrans omnibus ea que sibi contigerant & quicumque audierunt ac si mortiferum que Sancti Viri ministris erant contingere formidabant.

Qualiter Normanni Ecclesiam beati Venerii succendentes custodem illius in nullo ledere valuerunt.

TRansacto autem longo temporis intervallo ferocissima gens Normannorum (9) per linguam

(9) *Normannorum*. Normannos seu Northmannos (qui & Dani) ex Scandinavia, Norvegia, ac Succia primum profectos, in Gallias irrupisse sub Ludovico Pio Scriptores tradunt. Quas vero strages in eo Regno perfecerint, & in Ecclesias præcipue, Virosque divino cultui mancipatos, narrare non sufficimus, quin potius perhor-

guam maris navigans venerunt in Civitate Arelatis (10) regionis Provincia. indeque pedem moventes Lunensium Civitatem navigare ceperunt ibique venientes domos Ecclesias dissipare conantur. ad Ecclesiam Sancti Venerii pervenerunt. Custodibus omnibus illorum terrore fugatis neminem preter unum senem ibidem invenerunt. quem comprehensum interrogant cujus condicionis esset aut aliis in fugam versis ipse cur persistere presumpsisset. Isque respondit se & christianum esse & beati Venerii custodem & ob amorem magnifici Patris in eodem loco remansisse credens ipsius interventu eorum manus effugere posse. His auditis Barbari ajunt illi credis tu aut Dei tui solamine aut tui Venerii a nostris eripi posse manibus? Et ille respondit confido in omnipotentem Dominum quod beati Venerii precibus velociter a vestris hodie eripiar manibus

ni-

horrescimus. Illud unum dicam ad sævam horum barbariem describendam, quod Gothos, Saracenos, Vvandalos facinoribus superarunt, adeo ut ei litaniarum parti, in qua Ecclesia mala quibus premitur, aut quæ maxime timet, commemorat, additum fuerit, *A Normannorum furore libera nos Domine*. Cum circa medium seculum VIII. Aquitaniam devastarent, & Turonensem præsertim Civitatem depopularentur, Templa, & sacras Ædes universas igne, ferroque everterunt, pollueruntque sacrilegiis. Hanc cladem passum est præ cæteris D. Martini Templum una cum Monachorum Cœnobio. Ut autem horum barbarorum furorem ab universi Regni pernicie amoveret, averteretque, Carolus simplex Rex, regionem illis incolendam assignare coactus est, quæ *Normandia* dicta, Normandorum imposterum eisdem nomen dedit.

(10) *Arelatis*. Arelate distat a Nemauso quinque leucas in ortum, duodecim ab Aquis sextiis, & totidem a Massilia in occasum, ad orientalem Rhodani alveum, ubi ex adverso incipit regiuncula feracissima *la Carmague* vulgo dicta. Baudr.

Digitized by Google

nibus. At illi ut erant sevissimi statim eum comprehensum manibus a tergo ligatis & ad Altare beati Viri religato ignem suppoluerunt & prefato Viro taliter dicunt: modo apparebit quid tuus tibi facere poterit Venerius. Hic autem senex cum se igni videret circumdatum respiciens in Celum clara voce dixit: Sancte Veneri Confessor Christi propter tuum amorem hoc in loco perstiti: tuis nunc fave precibus ut ignis iste non dominetur mihi nec in aliquo me ledi ab ipso persentiam. Mirum dictu: tota Ecclesia cum domibus in circuitu ita exusta sunt ut nihil ex totis edificiis remaneret & vincula quibus idem vir ligatus fuerat tota exusta: super ipsum vero nec aliqua favilla cineris cecidit nec ullus odor ignis in eum descendit. in tantum ut barbari mirati videntes illum divina miseratione illesum dimitterent. Quid enim fuerit ut divina pietas taliter igni circumdatus intactum dimiserit nisi ut ostenderet cujus meriti iste vir esset. qui inter crudeles carnifices sibi subditum protexisset.

Quomodo quidam Presbiter demoniacus ad beati Venerii sepulchrum liberatus est.

CUm quidam Presbiter Turingus nomine cum commatre sua pariter habitaret & custodiam sui corporis prout necessarium inerat non haberet antiquus anguis solita venena propinans cepit ejus cor gerere ut eandem commatrem suam cum qua habitabat opprimeret: neminem esse qui hoc suspicaretur quo illi cum infando stupro se macula-

larent. & ideo melius esse cum propria commatre scortum peragere ut omnibus lateret quam alie mulieri se commisceri & hominibus latere non posse: credens autem Deum non intelligere aut si intelligeret misericorditer relaxare: hec taliter secum insulsus retractans dedit voluptati operam sive consentiendo libidini miseram commatrem suam oppressit. Sed justus Judex affuit nec diu ultionem differens in presenti percussit. & mox ut cum predicta commatre sua concubuit tam atrocissimo Demoni est traditus ut vix durissimis vinculis possit astringi: vehementer se discerpens quoscumque attingere poterat morsu dilaniare certabat. Adductus est ad domum viri Dei ibique per sex dies multum garrulans & debachans interventu Sancti Venerii tandem die septima liberatus est & in eodem loco persistens Sancti Viri ministeriis excubabat. ibique usque ad senium deserviens peccata que commiserat deflendo. & vita carens ibidem est sepultus.

Quomodo idem Sanctus Vir quandam Demoniacam curavit.

CUmque ibidem Sanctus Vir in novo sepulchro conditus haberetur voluit etiam Deus his hominibus qui inibi commanebant adducere ad noticiam cujus sanctitatis & glorie hic sanctus apud ipsum haberetur. Quedam puella Demonio arrepta clamare cepit se beati Viri precibus torqueri & ad ejus sepulchrum se velle proficisci. Mirantibus au-

Digitized by Google

autem illis nomen Venerii audiendo quibus illud incognitum fuerat adduxerunt puellam ad Sanctæ Marie Ecclesiam. Ingrediente autem illa Ecclesiam clamare cepit tuis precibus beate Veneri torqueor & tuis orationibus expellor: & multum discerpens & exiliens cecidit ante Altare & facta est velut mortua & ita ferme per duas horas jacuit. Postea autem surgens incolumis comparentibus gaudens ad propria remeavit: magnificantibus turbis Deum nostrum qui salvat omnes sperantes in se & neminem vult perire quia ipse est custos & Salvator noster. qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat a seculis & nunc & infinita secula seculorum. Amen.



ET

Digitized by Google

ET hæc sunt, quæ in nostro sæpius laudato Codice de divis Prospero & Venerio habentur. De postrema autem Divi Venerii corporis translatione, a Lunensi, seu Sarzanensi Ecclesia ad Divi Prosperi nostri Templum, profundum apud veteres Scriptores silentium. Ex antiquissima autem traditione ad hæc usque tempora continuata edocemur, eam peractam fuisse post Saracenorum ad Littora Lunensia incursionem, Lunæque Civitatis eversionem. Ex quodam Breviario in pergamena apud Nos MS. quod seculi xv. ætatem præfert, post Officium, quod in die transitus ejusdem Sancti apud Monachos celebrari consueverat, de ipsius Corporis translatione hæc subduntur; *Translatio S. Venerii, cujus meminit Petrus in Catal. l. 8. cap. 65. hac die. Facta autem est tempore Ludovici Pii Imperatoris ab Apollinari Lunensi Episcopo, qui sacras reliquias a Palmaria Insula ad Cœnobium Sancti Prosperi extra Regium transtulit;* Alio autem paullo posteriore charactere subjungitur; *De anno* 824. *aut* 828. *tempore Gregorii IV. Pont. Max., quibus temporibus legimus, Saracenos Insulas illas devastasse*. Petrus de Natalibus, qui hic citatur, floruitque seculo xv. atque Sanctorum Catalogum digessit, absolvitque An. 1482. (absque delectu tamen, ut ea tempora ferebant) hæc de D. Venerii translatione in fine ejus Vitæ scribit; *Tempore vero Ludovici Imperatoris, cum Saraceni Insulas illas devastarent, Apollinaris Episcopus Lunensis a Sancto per visum admonitus, Corpus ejus inde transtulit, & in Regium detulit, ac in Ecclesia Sancti Prosperi*

III.

Digitized by Google

III. Non. Novembris. Quæ autem ab eruditiſſimo noſtro Pancirolo in Hiſt. Regien. MS., nullo citato Auctore, ſcribuntur, hæc ſunt: *Interim Anno octingenteſimo decimo ſexto a Ludovico Cæſare, Caroli Magni filio, Norbertus, vel ut alii volunt Norpertus Regienſium Antiſtes, & Comes Ricomius Conſtantinopolim ad Michaelem Orientis principem ob confirmanda, quæ inter parentes percuſſa fuerant, fœdera, miſſi, vetuſtis conventionibus comprobatis, lætam inter Principes pacem retulerunt. Ab eodem Epiſcopo Divi Venerii Corpus eodem Anno Regium delatum fuiſse memorant. Alii vero non Norperto, ſed Apollinari id attribuunt, quem aliquot Annis poſt Eccleſiæ noſtræ præfuiſſe invenio. Ita autem bona Regienſium fortuna, Divi hominis ſepulchrum repertum fuiſſe dicitur: diruta a Saracenis. Lunæ Civitate, cum quotidie ex Hetruriæ ora a Piratis homines abducerentur, Ludovicus Pius finitimis Epiſcopis imperavit, ut quiſque ſtatis menſibus eam Urbem tueretur. Apollinaris, cui cuſtodiæ viciſſitudo obtigerat, dum ea loca perluſtrat, forte inventas B. Venerii reliquias incredibili gaudio Regium attulit, & in D. Proſperi Cœnobio decimo Kal. Decemb. condidit*. Hæc ille lib. 2. Hiſt. Reg.. Azzarius vero ejuſdem ferme ævi Scriptor, pluriumque monumentorum; quæ nobis præclare meritus ſuppeditavit diligens perquiſitor, de ejuſdem Divi noſtri translatione in Epiſcoporum, Rerumque ſimul Regienſium Hiſtoria MS. lib. 3. hæc habet: *Vitale noſtro Veſcovo fu dal Pontefice Gregorio IV. fatto Confaloniero di S. Chieſa, e chiamato col titolo di Difenſore; il qual titolo eſſo meritò, per eſſerſi affaticato*

mol-

molto contro i Saraceni, che allora in così mala maniera si diedero a turbare il pacifico stato d'Italia, in particolare le Riviere della Città di Luna; che Lodovico Imperatore fù sforzato per difesa di quel luogo d'ordinare, che ogni Vescovo d'Italia, qual s'avesse a levar a sorte per tanto tempo, si dovesse trasferire a guardar que' contorni; ed essendo toccato l'anno 834. *a Vitale, sebbene s'affaticò molto contro quella gente con le armi temporali, non tralasciò però le spirituali col raccomandarsi all'intercessione de' Santi, & in particolare di S. Venerio protettore di quell'Isola, nella quale si trovava il suo Corpo sepolto; onde per la molta sua divozione, e perchè visitava spesso quel luogo, meritò, che una notte, mentre in tranquillo sonno si trovava, che in atto tutto venerando, e risplendente gli apparisse, dicendogli; Vitale, poichè conosco quanta, e quale sia l'affezione, con che m'onori, nel Signore consolati, essendo volontà di esso, che tu pigli le mie ossa, e che le porti alla tua Città di Reggio. Dopo di che destatosi Vitale restò così allegro, che approssimatosi il tempo di ritornare alla residenza del Vescovato, non ebbe mai riposo sin tanto che non pose in esecuzione quel tanto, dicchè era stato avvertito; onde toltosi con lui alcuni Sacerdoti, a quali aveva conferito tutto il secreto, sen' andò all'Arca, nell'aprir della quale ne' uscì così grato odore, che senz'altro, s'ebbe indizio della loro Santità, e con le debite riverenze levatele da quel luogo le trasportò a Reggio, collocandole nella Chiesa del Monistero di S. Prospero, di dove poscia furono più volte or quà or là trasportate insieme con quelle di S. Prospero, come son per dire più innanzi.* Ennaratis

autem breviter ejus Vitæ actis, hæc postea subdit; *la qual traslatione fu fatta li 22. Nov. dell' Anno 835. E perchè si vedranno altri che in altra maniera tengono questa traslazione, volendo alcuni che fosse fatta dell' Anno 816. sotto di Lodovico pio Imperatore per mano di Apollinare; & altri, che non da Apollinare, ma da Norberto, che pongono, fosse Vescovo nell' istesso tempo: tuttavia stando le molte difficoltà, e gravi considerazioni, mi sono dato a credere diversamente, & a seguire quelli che concorrono in Vitale; perchè datomi che quello che le trasportò in Reggio, fosse uno di que' Vescovi, che andasse per difendere la Città di Luna dalle incursioni de' Saraceni, bisognerà ancor dire, che tal cosa non potè succedere prima dell' 829. secondo Palmerio, ovvero secondo Messio dell' 833., opure secondo il Villani dell' 835. al quale si concorda molto bene il Sigonio con queste parole:* „ Per hoc tempus ideſt 835 „ Saraceni uſque adeo infeſtis invaſionibus Italiæ „ Littora lacerarunt, ut etiam Epiſcopi ire ad ea „ defendenda compulſi ſint; ſiquidem Claudius Taurinas Epiſcopus ſcribit, ſe ineunte Vere ad Saracenos a Littoribus ſubmovendos accurriſſe, neque magis calamo, quam gladio ſtuduiſſe. „ Huc uſque Azzarius, qui etſi ſcripta ſua non ſemper critico ſale conſperſerit, haud tamen eſt contemnendus, ſed maxime commendandus. Lectiones vero, quæ in agenda matutinorum impreſsæ leguntur, cum nulla probata antiquitate nitantur, non ſatis ponderis habere videntur, ut ex eis aliquid certi ſit ſtabiliendum. In nonnullis autem MM. SS. ſeculi xv. ſeu initii ſubſequentis, legimus,

mus, translationem hanc factam per Vitalem Episcopum Anno 835. quo quidem tempore Barbaros Liguriæ littora infestasse jam certi sumus. His igitur æqua lance libratis, in eam opinionem nos libentius ire fatemur, qua probabilius creditur, nec per Apollinarem nec per Norbertum, sed per Vitalem Episcopum hanc translationem fuisse peractam, tempore utique Ludovici Imperatoris, quo Saraceni Liguriæ littora infestabant; & quidem ab Apollinari Episcopo hanc fieri non potuisse, ex eo facile persuaderi arbitror, quod ante Adelmarum Episcopum eum sedisse inveniamus, Adelmarum vero circa Annum 786 episcopalibus infulis ornatum legimus. Cum autem in Lunensium Episcoporum serie ne unus quidem hujus nominis extet, Petrum de Natalibus hallucinatum credimus; cujus sane auctoritas in his, quemadmodum in pluribus aliis nihili, aut parvi facienda est, cum is ultra seculi decimi quinti simplicitatem multum sapere non videatur. Sed neque per Norbertum Episcopum id fieri potuisse, conijcimus, cum & iste in duobus sincerioribus Catalogis Episcoporum Regiens. Ecclesiæ Regiensi præfuisse inveniatur post Vitalem, & illo adhuc superstite, suos Episcopos Lunam habuisse putemus, ad quos profecto præ cæteris id muneris spectasse obvium est opinari. A Vitali igitur factam fuisse translationem hanc definire necesse est, de quo sic lego in alio apud nos seculi XVI. manuscripto. *Circa Annum* 835. *Vitalis Episcopus dum excubaret ad defensionem Liguriæ, quam Longobardiæ Episcopis ob Saracenorum infestationem Ludovicus Imperator commendaverat,*

Digitized by Google

rat, Corpus S. Venerii divinitus inventum, Regium, centum Plebanis Crucibus, in Montem, qui dicitur adhuc Centum Crucum, illic accurrentibus, transtulit; ac in Basilica S. Prosperi extra Urbem decenter collocavit. Itaque ad postremam hanc opinionem & nos, usque dum certiora afferantur, libenter accedimus.. Dolemus vero quam maxime, tam solemnem translationem, antiquorum Scriptorum Regiensium opera posteris non demandatam, aut magno detrimento deperditam.

FINIS.

ERRATA CORRIGE.

Pag. 39	l. 1	nobis	l.	vobis
42	l. 25	balliarum	l.	Galliarum
68	(23)	ad modum	l.	admodum
90	l. 29	num	l.	non
115	l. 20	nam	l.	rem
	l. 22	pallii	l.	palliis

Digitized by Google